

[p.179]

Historiae Deorum Gentilium
SYNTAGMA QVARTVM, DE
SATVRNO, RHEA, VESTA, IANO,
VERTVNO. AD CLARISSIMVM VIRVM
BERNARDVM BARBVLAEVM.

Hos tibi mitto deos, coluit quos prisca
uetustas,

Qui testes nostri et pignus amoris erunt.

Non hic inuenies pictae tectoria linguae,

Nec phaleras, cum sit sermo didascalicus.

Si tamen hos quisquam uiroso dente lacesset,

Dic, aliena premat, qui meliora facit.

LILIVS GREGORIVS GYRALDUS

Bernardo Barbulaeo S.P.D.

AMAVI ego te, mi frater Bernarde
Barbulaee, a primis usque nostrae
adolescentiae annis, cum ambo nos operam
daremus bonis literis et moribus, sub
doctissimo et integerrimo uiro Baptista
Guarino. ex cuius ludo tot ex omni ferme
Europa uiri excellentes in omni literarum et
optimarum disciplinarum genere, tanquam ex
equo (quod dicitur) Troiano effluerunt. At
nostrum uterque in humanitatis studiis tantum
profecit, quantum uel natura nostra, et ingenii
uires patiebantur: uel quantum tenues
admodum facultates permisere, et angusta
domi res. quibus quidem difficultatibus haud
facile homines (ut ait poeta) emergunt, et
uirtutibus insignes ac illustres euadunt. Hinc
est, quod nos nostra gloriola contenti, quam in
Mustaceo (ut ait Cicero) quaesiuius: donec tu
quidem hic Ferrariae subsistens, iuuentutem
cum Coelio nostro instituisti, adeo ut tu dignus
iudicareris qui sacerdotio diui Petri
praeficereris. Ego uero procul a patria peregre
profectus, eam de me expectationem
concitaram, ut omnes me crederent in aliquem
procerum sacrorum ordinem cooptandum: et
praesertim sub Leone, Adriano, et Clemente,
pontificibus: apud quos mea ita domestica
familiaritas accepta uisa fuit, ut a me nihil
unquam ab eis frustra petatum sit, quinimmo
et pleraque ultro oblata: praecipue meo in
humanis adhuc agente alumno et discipulo
Hercule Rangonio, Romae diuae Agathae
Diacono. Post cuius immaturum obitum, et
urbis direptionem, ita reflantem habui
fortunam, ut ab eo tempore non tantum
[p.180] res meae deteriore loco esse coeperint,
sed et corporis uires ita debilitari, ut in eam
articulorum omnium aduersam ualetudinem
inciderim, ut non modo ambulare (ut tu

quidem frater optime nosti) sed nec etiam in
latus decumbere possim, nisi sim a ualente
aliquo ministro adiutus. Nec tamen cum ita
morbis affligar, cesso, quin aliquid indies per
amanuensem puerum uel scribam, uel dictem.
Sicut superioribus his diebus faciebam, cum de
Deis gentium magnum Opus confeci: cuius
tibi duo Syntagmata mittere constitui, in
quorum altero Saturnum, et Magnam deum
matrem, et Vestam, tum etiam Ianum et
Vertunum, sum complexus: in altero
Neptunum, et deos caeteros marinos,
nymphasque uarii generis: ad haec et Aeolum
et uentos. Accipe igitur amantissime frater ab
aegroto tuo Lilio, et pene conclamato,
qualecunque munus: non quod ex me aliquid
tibi ignotum et reconditum habere possis, uel
quod ex tua illa refertissima de omni librorum
genere Bibliotheca non facile haurire queas:
sed ea duntaxat ratione, omnibus ut constet,
mutuam inter nos amicitiam ex multo fuisse
tempore constitutam. Di faxint, ut et per
scripta nostrum utriusque nomen posteritati
notum esse contingat. Vale.

SATVRNVS, RHEA, VESTA, IANVS,
VERTVNVS.

SATVRNVS itaque Coeli filius, ut de Natura
deorum scribit M. Cicero. Ennius: Quem
Caelus genuit. idem tradit et Lactantius, et
Seruius in illo poetae Vergilii: Vnde genus
ducis. Arnobius Coeli quidem filium ait, et
Hecates. Coelus uero graece Οὐρανὸς uocatus
est, a quo frequens graecorum patronymicum
Οὐρανίων, id est Vrani filius, aut nepos.
Vranus ergo, seu Coelus, ut Phurnutus scribit,
dictus est, quasi οὐρος, hoc est conseruator
omnium quae supra sunt: et ὀρίζων, hoc est
finitor, uel terminus naturae. Sunt qui tradant
ἀπὸ τοῦ ὀρᾶν, uel ὀρέγειν deduci, hoc est,
quod et cuncta uideat, et conseruet. Alii porro
ἀπὸ τοῦ ὀρᾶσθαι deriuant, hoc est, quod
supra cernatur. Ex poetis etiam quidam
Ἄκμωνος filium dixere, id obscure
significantes, τὸ ἄκμητον τῆς περιφορᾶς, id
est, quod dum circumfertur, sit indefessus: seu
quod sit incorruptibilis. dicimus quippe
κεκμηκέναι, id est opus absoluisse, qui iam
fato functi sunt. Theocritus in Alarum
poematio ualde ingenioso, [p.181] Vranum,
seu Coelum uidetur significare, cum obscure
ait, ἄνακτ' ἄκμωνάδων, regem scilicet
Acmonis filium Vranum. nam, ut interpretes

aiunt, terra peperit Acmonem, ex Acmone natus Vranus, id est Coelus, qui Terminus, etc. Porro et Acmona inter Idaeos Dactylos ab aliquibus repositum, iam in primo libro dictum est. Cultus uero fuit Vranus multis in locis, humanis etiam uictimis, et praecipue in tota Africa, et Libya. Sed nos de Saturno, quod coepimus, prosequamur. Saturnus, ut ex Trogo Iustinus scribit, Aboriginum rex, tantae iustitiae fuisse dicitur, ut neque seruierit sub illo quisquam, neque quicquam priuatae rei habuerit, sed omnia communia et indiuisa omnibus fuerint, ueluti unum cunctis patrimonium esset. ob cuius exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus exaequato omnium iure passim in conuiuuiis serui cum dominis recubarent. Itaque Italia regis nomine Saturnia appellata fuit, et mons quem inhabitabat Saturnius: in quo ueluti a Ioue pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Et haec quidam ferme uel Trogus, uel Iustinus. D. uero Cyprianus: Ab Ioue, inquit, Saturnum fugatum esse, manifestum est: inde Latium de latebra eius nomen accepit. hic literas imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit, unde aerarium Saturni uocitatur. nam et rusticitatis hic cultor fuit, unde ferens falcem pingitur. Saturnum tamen sic Saxones effingebant, cui nomen Κρόνω, senem in pisce stantem, qui rotam urnamque tenebat: quod symbolum erat apud ipsos arcanum, ut in eorum historiis legimus. Saturnus autem a Latinis dictus est: a Graecis uero Κρόνος, quasi temporum pater. χρόνος enim tempus. M. Cicero libro secundo de Natura deorum: Saturnum, inquit, esse uoluerunt, qui cursum et conuersionem spaciorum ac temporum contineret, qui deus graece id ipsum nomen habet: Κρόνος enim dicitur, qui est idem spacium temporis. ita Cicero. Idipsum et Macrobius primo Saturnaliorum, Saturnus, inquit, ipse qui auctor est temporum. Et ideo a graecis immutata litera Κρόνος quasi Χρόνος uocatur. Plato: Κρόνος quasi κόρος ὦν τοῦ νοῦ, hoc est, mentis satietas, dici putauit. Hinc teste Plutarcho κρονολήροι dicti senes, garruli et aetate decipientes, quasi Saturni modo delirantes. Phornutus tamen Κρόνον dictum ait ἀπὸ τοῦ κραίνειν, id est a commiscendo. At uero Saturnus dictus, uel a satu, quod stercorationi agrorum et agriculturae praeesse putabatur: unde et cum falce pingebatur. Alii Saturnum dictum uolunt, παρά τὴν σάθην,

qua uoce membrum uirile significabant antiqui, propter scilicet generationem: hinc et Satyri appellati. Macrobius auctor. M. Cicero et Lactantius dictum Saturnum tradunt, quod annis saturetur, quippe qui tempus sit. Fulgentius uero: Propter annonae, inquit, erogationem ad se populos attrahens, a saturando dictus est Saturnus. Ops quoque [p.182] eius uxor, eo quod opem esurientibus ferret, dicta est. Citat idem Apollonem in epico carmine scribentem, Saturnum quasi sacrum νοῦν, aut satorem νοῦ, quasi creatorem sensum et mentem. Varro de lingua latina, Saturnum Coelum facit his uerbis: Quare quod coelum principium, a satu dictus est Saturnus: et quod ignis, Saturnalibus caerei superioribus mittuntur. Verum de caereis cur in Saturnalibus mitterentur, Macrobius, et alia, et hoc scribit: Alii, inquit, caereos non ob aliud mitti putant, quam quod hoc principe ab incomi et tenebrosa uita, quasi ad lucem et bonarum artium scientiam editi simus.

Saturnum aiunt abscidisse Coeli patris pudenda, quibus in mare deiectis Venerem procreatam, quae a spuma, id est ἄφρω, unde coaluit, Aphrodite nomen accepit. Isidorus patris abscidisse genitalia dicit, quia nihil in coelo de seminibus nascitur. Caeterum et apud Orpheum Iupiter Saturno patri insidias melle struxit. Leguntur Orphei uersus hac de re,

Vt primum spectabis eum sub quercubus altis,

Dulci quod comportat apum grex melle madentem,

Constringas ipsum uinclis.

Ebrius igitur melle Saturnus ab Ioue ligatus castratur, ut Coelus. quare, ut Porphyrius scribit in spelunca Homerica, theologus (inquit) Orpheus innuit, diuinas essentias uoluptate captas quodammodo ligari, et in generationem detrahi. Fulgentius autem: Saturnus, inquit, Pollucis filius dicitur, Opis maritus, senior, uelato capite, falcem gerens, cuius uirilia abscissa in mare proiecta Venerem genuere. Phornutus tamen, Saturnum ait de Coelo descendisse, Terraeque commixtum, donec Iupiter illum castrauit, et in Tartarum praecipitauit. Alii dicunt, Saturnum ab ipso Ioue in compedibus positum. Verrius Flaccus causam se ignorare dicit, sed Macrobius ex Apollodoro hanc recitat. Saturnum, inquit, alligari per annum laneo uinculo, et solui ad diem sibi festum, id est mense decembri. atque inde prouerbum ductum, Deos laneos pedes

habere. Significari uero, decimo mense semen in utero animatum, in uitam grandescere: quod donec erumpat in lucem, mollibus naturae uinculis detinetur. Sacrum suo etiam tempore D. Epiphanius, quod ab Aegyptiis fieret, irridet. quosdam ait se uinculis ferreis includere, comam prolixam nutrire, uestitum sordidum detritumque gestare, annuloque nasum includere, ac perforare, in Saturni honorem: et reliqua, non minus ridicula, quae uir sanctus colligit. Plutarchus etiam Saturnum ait in insula quadam fortunata in specu dormire, saxa complexum aurea, somnumque ex uinculis Iouis contingere, et caetera quae in libello leges De facie in orbe lunae apparente. Redeo ad nostra. Falcem quidam Saturno [p.183] putant attributam, quod tempus omnia metat, excet, et incidat: uel propter agriculturae rationem, cuius ipse repertor fuit, et proinde Falcifer cognominatus a poetis. Ouidius,

Causa ratis superest, Thuscum rate uenit ad amnem,

Ante pererrato Falcifer orbe deus.

Ab eadem falce, que graece δρέπανον dicitur, Pausanias promontorium dictum ait. alii urbem, quam uarie tamen scriptores recensent, quidam Siciliae, quidam Bithyniae, alii alibi: Strabo, Stephanus, Seruius. quin etiam Zancle eadem ratione appellata. Nicander,

καί τοι καὶ Ζάγκλης ἐδάη δρεπανήιδος ἄστυ, hoc est,

Nec non et Zancles didicit Drepaneidos urbem.

Saturnum praeterea aiunt filios suos solitum deuorare, eosdemque rursus euomere: per quod similiter significatur, eum, ut diximus, tempus existimatum fuisse, a quo per uices cuncta gignantur, absumanturque, et ex eo denuo renascantur. Hinc et in urbibus quibusdam homines illi liberos suos immolabant, ut alibi dictum, et a nostris pluribus irrisum est. Sed Rheam uxorem ferunt eum fefellisse, lapidemque pro Ioue marito porrexisse, ipsumque Iouem Corybantibus clam nutriendum dedisse: qua de re alibi plenius locuti sumus. Saturnum demum ab Ioue pulsum filio, quid aliud significat, quam tempora senescentia ab iis quae post nata sunt depelli? Vinctum autem, quod certa lege naturae connexa sunt tempora: uel quod omnes fruges quibusdam uinculis nodisque alternentur. Nam et falcem uolunt fabulae in

Siciliam decidisse, quod sit insulae illius terra uel maxime fertilis. Huic etiam deo insitiones surculorum, pomorumque educationes, et omnium eiusmodi fertiliū rerum tribuebant disciplinas. Cyrenses etiam cum rem diuinam ei faciebant, ficis recentibus se coronabant, placentasque mutuo missitabant. Mellis insuper et fructuum repertorem Saturnum ueteres putauere. Hunc Romani etiam Sterculium uocabant, quod primus stercore foecunditatem agris comparauerit. Sed de Sterculio et Stercutio, alibi diximus, in Pilumno uidelicet. Huic deo ex instituto antiquo et peregrino, sacrum aperto capite faciebant. hoc ait Macrobius primo Saturnaliorum, capite X. Idem tamen capite VIII: Illic, inquit, graeco ritu capite operto res diuina fit, quia primo a Pelasgis, post, ab Hercule ita factitatum putant. Sed plenius hoc in Syntagmate de Sacrificiis tractandum. Scribit Theopompus, et repetit Plutarchus in libro Isidis et Osiridis, quosdam qui occidentem habitant, hyemem Saturnum appellasse, aestatem Venerem, uer Proserpinam. ex Saturno autem et Venere cuncta esse generata. Sed Phryges, existimantes deum per hyemem somno uacare aestate euigilare: et hyeme quidem dormitationes, id est κατευνασμοῦς, aestate uero ἀνεγέρσεις, hoc est uigilias, bacchantes discurrentesque deo peragebant. At uero Paphlagonēs, Saturnum deum coerceri uinculis [p.184] per brumam, uere autem moueri atque resolui asserebant, etc. Nunc, etsi quo pacto fingeretur Saturnus ab antiquis, ex his quae supra narrata sunt, elicere possumus: nihilominus et quo modo a Martiano est descriptus, hic tibi etiam apponam: Verum, inquit, Sator (Satoris enim nomine Saturnus quoque est appellatus) gressibus tardus ac remorator incedit, glaucoque amictu tectus caput, praetendebat dextera flammium quendam draconem caudae suae ultima deuorantem, quem credebant anni numerum nomine perdocere: ipsius autem canicies pruinosis niuibus candicabat, licet etiam ille puer posse fieri crederetur. haec ille, suis uerbis. Macrobius uero scribit, Ianum, cum Saturnus subito non comparauisset, simulachrum illi constituisset cum falce, messis insigne. Porro et illud legimus, Saturnum podagrosū ab antiquis effectum, et oculis lemis lippientibus. unde et graecis prouerbiū κρονικαὶ λῆμαι, hoc est Saturniae lemae. Lema quippe pituita est in

oculis, uel humor quidam concretus, ut medici docent. Pythagorici uero symbolo quodam Saturni lacrimam mare dicebant, quod Plutarchus scribit in Isi et Osiri. Maris enim aqua non salsa solum et amara, sed et crassa et impura est. Saturnalia huic deo sacra fiebant, de quibus in primis Macrobius, Lucianus, et nos nonnihil de Annis et mensibus. Haec Κρόνια a Graecis dicebantur. Et primo uno die tantum, id est XIII. Kal. celebrari solita: sed post in triduum propagata, primum ex adiectis a Caesare huic mensi diebus, deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. a XVI. igitur coepta, in XIII. desinebant, quo solo fieri ante consueuerant. sed Sigillariorum adiecta celebritas, in VII dies discursum publicum et laetitiam religionis extendit. Sed plura hoc loco de Saturnalium celebritate commentari superuacaneum uidetur, et praeter institutum. Versus tantum L. Accii, antiquissimi poetae, ex suis annalibus afferam:

Maxima pars Graium Saturno, et maxime Athenae,

Conficiunt sacra, quae Cronia esse iterantur ab illis,

Cumque diem celebrant per agros, urbesque fere omnes

Exercent epulis laeti, famulosque procurant

Quisque suos, nostrique itidem: et mos traditus illinc,

Iste, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Saturnalibus bellum sumere nefas, poenas a nocente exigere piaculare fuit. Tempa huic deo Romae uarie referuntur extracta. Macrobius ait se inuenisse, Tullum Hostilium fanum ex uoto Saturno consecrauisse, et Saturnalia tum primum Romae instituta. Varro in libro de sacris aedibus VI., L. Tarquinius regem dixit aedem locasse ad forum faciendum: T. uero Largium dictatorem consecrasse. Gellius ait, senatum decresse ei rei L. Furium Trib. Mil. praefectum. [p.185] Aedem uero Saturni aerarium Romani esse uoluerunt, quod nullum sit furtum in eius finibus commissum, aut quia sub illo nihil erat cuiusquam priuatum:

Nec signare quidem, aut partiri limite campum

Fas erat, in medium quaerebant.

Plutarchus in causis Romanis ideo ait, quod eo regnante non fuit auaritia, nec improbitas, sed iustitia. D. Cyprianus ait ea causa, quod

primus in Italia nummos instituit signare, et propterea Saturni aerarium uocari. Ianum ait Macrobius sic aera signasse: in una parte sui capitis effigies, in altera Saturni nauis expressa est, qua de re plenius in meis Nauigiis. Festus aerarium prope Saturni aedem fuisse scribit. Seruabantur porro in aerario, praeter pecuniam, etiam tabulae, et libri elephantini, in quibus continebantur XXXV tribus urbis. Item libri rationum, aliaque.

Saturno hymnum concinuit Orpheus, cum styracis suffimento, cuius hoc initium est,

Αἰθαλῆς μακάρων τε θεῶν πάτερ, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

In quo hymno Saturnus diuersis cognominibus inuocatur, et his praecipue: Ἀμίαντος, id est impollutus, incontaminatus: Μεγασθενῆς, id est magni roboris ac uirum: Γενάρχης, id est generationis princeps: in illo,

Ὅς ναίεις κατὰ πάντα τε μέρη κόσμοιο γενάρχα, hoc est,

Omnes qui partes habitas, mundique genarcha. Et idem,

Ὅς δαπανᾷς μὲν ἅπαντα, καὶ αὖξεις ἔμπαλιν αὐτὸς, id est,

Absumis qui cuncta, idem qui rursus adauges.

Ἄγκυλομήτης ab eodem, id est uersutus cognominatur, quem Homerus et Hesiodus secuti sunt: quin et Proclus in ἔργοις interpretatur, eadem in re Plutarchum aduocans. meminit et Phurnutus, et exponit: licet quidam hallucinati, Ioui hoc epitheton attribuant. Inuocat et illum Orpheus aliis nominibus, quae ego consulto praetereo, quod latino sermoni, nisi circumscripta comprehendi non possunt.

Vitisator Saturnus a Vergilio in VII. Aeneidos cognominatur. nam et supra diximus, eundem et Satorem appellatum. Vergilii uersus hi sunt,

Vitisator curuam seruans sub imagine falcem,

Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago, Vestibulo astabant.

Vbi Seruius: Vitisator, inquit, non inuentor uitis, sed qui genus uitis Italis demonstrat populis. sane ex Critolao, qui Phaenomenon librum scripsit, Plutarchus scribit Saturnium hospitio susceptum ab agricola quopiam, cuius filiam Oenotriam uitiauit, quo partu nati sunt filii quatuor, quibus Saturnus pater serendae uitis et conficiendi uini rationem demonstrat,

et ut alios hoc idem edoceret permisit. hinc igitur Vitisator. [p.186]

OPS. RHEA.

RHEA (quae Ops latine uocatur, et Cybele, et deum mater, et ut Strabo colligit, dea Phrygia, magna mater, Vesta, Idaea, Dindymene, Pylena, Pesinuntia, Cybele, aliisque nominibus: quae nos seorsum, prout commodius se obtulerint, interpretabimur) filia fuit, ut in hymnis canit Orpheus, Protogoni. Scribit uero Cornutus, ideo Rheae tympana et cymbala adhibita fuisse, item faces et lampades, propter tonitrua et fulgura, quae pluuiis praeuia esse solent. ipsam enim Rheam pluuiarum causam tradit. Sed de his plura in Magna matre dicemus. Huic etiam deae cor sacrificabant, significantes, hanc causam esse uiuificae generationis. Propter quod circa eius pectus alii quidam typi apponi consueuere, omnium rerum et colorum. quae tamen obscure Phurnutus explicat, propter quae uidetur naturae, uel Isidis imaginem significare, cuius etiam in Iside meminerimus. Cybele, quae et duplici ll scribitur, id est Cybelle, apud poetas (ut Claudianum in primo de Raptu Turrigeramque petit Cybelem. Et paulo post, Adytis gauisa Cybelle Exilit) res est notissima. Nam et Seruius idem in X. Aeneidos annotat in eo, Quas alma Cybelle Numen habere maris, etc. ait enim, Bacchium esse pedem, qui constat prima breui et duabus longis. Cybele ergo Saturni uxor a gentibus existimata (de qua tamen uariae traduntur opiniones, quae suis locis hoc toto capite referentur) dicta est Cybele, a monte Phrygiae, ut Stephanus scribit: ut Strabo, a loco: ut Suidas, a montibus: ut uero Festus et Seruius ἀπὸ τοῦ κύβεσθαι τὴν κεφαλῆν, id est a capitis rotatione, quod proprium fuerat eius deae sacerdotum, qui per furorem motu capitis comam rotantes, ululatu futura praenunciabant.

Hinc Lucanus: Crinemque rotantes

Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.

tametsi in uulgatis Festi codicibus, dictam legamus ἀπὸ τοῦ κύβου, quam lectionem et ex doctis plerique secuti sunt. quin et eadem ratione κύβος, id est cubus, ei ab antiquis dicabatur. Addit Seruius in tertio, Alios dicere Cybelum sacerdotem eius deae primum fuisse, et ab eo Cybelem dictam. Sosides Atticus in libro Theologumenon, ubi ait, Atym florem significare, scribit, Matrem deum in modum

potentiae poni: unde, inquit, Cybele dicitur, quasi κῦδος βαλεὼν, id est gloriae firmitas, ut recitat Placiades Fulgentius. Κύβελα, scribit Hesychius, montes Phrygiae, ubi antra et thalami Cybeles matris deorum. Haec quidem dea curru uehi dicebatur, quia ipsa credebatur terra, ut ait Seruius, quae pendet in aere. Ideo rotis sustineri dicebatur, quia mundus rotatur, et uolubilis est. Et eidem subiugabantur leones: ut ostenderetur, maternam pietatem omnia posse superare. Inde [p.187] Corybantes eius ministri cum suis gladiis esse fingebantur, ut significaretur, omnes pro terra sua debere pugnare. quod autem turritam gestaret coronam, ostendebat, superpositas terrae esse ciuitates, quas insignitas turribus esse uidemus. Sane quoniam de Cybele agimus, rideamus et nos cum Origine contra Celsum philosophum Epicuraeum, eam fabulam, quam ille recitat libro secundo: Aegyptius praeterea (inquit) quispiam, qui Mosi rebus mirabiliter gestis nihil fidei praebeat, credi potest et Rhapsimythum illum mox producturus, ita ut eum affirmet ad inferos descendisse, et aleam lusisse cum Cybele, et aureum uelum retulisse, in signum, ad inferos se peruenisse, et inde remeasse ad superos. Et haec quidem Origines, qui et eandem fabulam alibi recitat. Sed iam satis hac de re.

Dindymene etiam Cybele dicta fuit. Catullus:

Simul ite Dindymenae dominae uaga pecora.

Strabo et Hesychius putant, a montibus Phrygiae, uel Troadis (ut Stephanus) Dindymis nuncupari. Idem Catullus: Dea Dindymi domina procul a mea Tuus sit furor omnis hera domo: Alios age incitatos, alios age rabidos. Horatius libro primo Carminum: Non Dindymene, non adytis quatit Mentem sacerdotum incola Pythius. Apollonius primo Argonauticon μητέρα Δινδυμῆν πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες, id est, matrem Dindymiam ualde uenerabilem inuocantes. Dindymen etiam, et Dindymenem Hesychius uocare uidetur. Diodorus Siculus, a nomine matris dictam innuere uidetur, quae Dindymene uocaretur. ita enim scribit: Asserunt (inquit) incolae Phrygiae Libyaeque, antiquum regem fuisse Meonem, qui uxorem Dindymenem duxit. (caue ne fallaris, latinis factis codicibus. Haec enim inuersa leguntur non modo apud Diodorum, sed Eusebium etiam de Praeparatione euangelica.) Ex iis nata est foemina, quam mater educare nolens, exposuit

in monte Cybello, ubi ferarum uberibus nutrita fuit. puellam hanc mulier quaedam pecora pascens cum uidisset, facto stupens abstulit, atque a loco Cybelem nominavit. aucta aetate forma, ingenioque ac prudentia excelluit. fistulam enim calamis compactam, et cymbalum, tympanumque prima adinuenit, puerorum insuper et pecorum morbis remedia excogitavit. qua ex re factum est, ut Mater ab omnibus appellaretur. Caetera quae de Marsyae et Apollinis amore erga illam, deque eorum certamine, et Atyos castratione et nece, in Phrygum theologia ex Diodoro et Eusebio leges. Nunc ea prodamus quae Pausanias in Achaicis, ubi de Mineruae templo agit in Dymaeis, et de simulachro uetustissimo. Et aliud est, inquit, templum in Dymaeis Dindymenae matri et Attae confectum. qui uero hic esset Attes, cum id arcanum foret, comperire nequii: uerum ex Hermesianacte elegiarum scriptore ita traditum [p.188] est, quod uidelicet Attes Calai Phrygis filius fuit impotens generandi (si recte uertimus, οὐ τεκνοποιός) a matre genitus. qui cum adoleuisset, in Lydiam demigravit, et Matris deum orgia apud Lydos peregit. quare cum ab eo in honore esset, Iupiter inuidit, suemque immisit, qui Lydorum labores et opera diripiebat. Et cum alios pluresque interemisset, tum et ipsum Atten. unde et, quod iis consentaneum est, Galatae Pesinunta habitantes, sues non attingunt. neque enim existimant ita de Atte, sed de eo alius est apud eos sermo indigena. Iouem ferunt in somnis semen in terram effudisse, quae in tempore daemona edidit duplici pudendo, hoc est uirili et muliebri, nomenque illi imposuit Ἀγδίστιν. uerum dei hunc Ἀγδίστιν metuentes, illi uirile pudendum absciderunt. atque exinde nata amygdala: quae matura cum facta esset, Sangarii fluuii filiam aiunt cepisse, et in sinum posuisse, tum statim fructus euanuit: ipsa autem puella praegnans facta, cum peperisset, hircus puerum expositum curauit. Sed supra hominem cum formosus adoleuisset, pueri amor Agdistin cepit. adultum autem iam Atten propinqui Pesinunta miserunt, ad regis filiam. canebatur Hymenaeus, instat Agdistis: Attes uero furore correptus, sibi uirilia amputauit. amputauit et rex, qui filiam illi dabat. Porro poenitentia Agdistin cepit ob ea quae fecerat, et ab Ioue impetrauit ne quid corporis Attes putresceret, neue liquesceret. haec ferme quidem Pausanias. Sed enim totam hanc

fabulam longe copiosius cum ex aliis scriptoribus, tum maxime ex Timotheo, antiquo theologo, Arnobius in V. aduersus gentes explicat. ait enim: In Phrygiae finibus, inaudita per omnia uastitatis petra est quaedam, cui nomen est Agdus: ex ea lapides sumptos, ut Themis mandauerat, in orbem mortalibus uacuum Deucalion iactauit, et Pyrrha. ex quibus cum caeteris et haec Magna quae dicitur informata est mater, atque animata diuinitus. Hanc in uertice ipso petrae datam quieti et somno, incestis Iupiter cupiditatibus appetiuit. Sed quum obluctatus diu, id quod sibi promiserat, obtinere nequiuisset, uoluptatem in lapidem fudit uictus. Hanc petra concepit, et mugitibus editis multis prius, mense nascitur decimo, materno ab nomine cognominatus Agdestis. Huic robur inuictum, et ferocitas animi intractabilis, insana et furialis libido, et ex utraque sexus ui rapta deuastare, disperdere, immanitas animi quo duxerat, non deos curare, non homines, nec praeter se quicquam potentius credere, terras, coelum et sidera contemnere. Longa est historia. ait enim: Ex eius sanguine humi fuso, natum malum Punicum, cuius Nana regis filia mali in sinu positi attactu praegnans facta. pater puellam claudit, ut inedia intereat. Pomis sustentatur a matre. ipsa paruulum enititur, quae rex exponi iubet. a quodam inuentus, hircino lacte nutritur. Hinc Atys dictus, quoniam Phryges [p.189] hircos Atagos nuncupant. Reliquam huius Agdestis fabulam ex Arnobio collige, ex cuius et Pausaniae uerbis, rectius ea percipies quae a Strabone scribuntur libro XII. uel graeca, uel latina exposita. ita enim ego illa meis uerbis: Pesinus uero est emporium eorum qui sunt in ea regione, templum maximum habens Matris deorum, magnae religionis: uocant autem illam Angdistin. Crediderim ego Agdistin legendum. Lucianus quoque de dea Syria uarias recensens opiniones: Alius, inquit, sermo fertur, quem ego a uiro sapiente audiui, quod Rhea ipsa sit, et templum Attes opus. Attes quidem Lydus fuit, primus qui sacrorum ritus, quibus Rhea coleretur, prodidit: et quibus Phryges, Lydi, et Samothraces in sacris uterentur, ea ab Atte omnia accepisse. nam ubi Rhea ipsum castravit, uirilem uitam agere desiit, et muliebrem formam assumpsit, et uestes. itaque per orbem terrarum obambulans, ubique sacra faciebat, et quae ipse passus fuerat narrabat: et caetera, quae ille

multa narrat. Sane Attis, non Attes, apud Suidam et Lucianum legimus. Diodorus Pappan etiam Atyn dictum ait. nostrorum plerique Atyn, ut Catullus et Persius, alique fere omnes. Macrobius Attinem uocat, ita enim scribit: Similiter Phrygiae fabulis circa Matrem deum et Attinem eadem intelligunt. quis enim negat, Matrem deum terram haberi? haec dea leonibus uehitur ualidis impetu atque feruore animalibus. Et paulo post: Attinem uero ornant et fistula, et uirga. Sed de hac fabula, praeter iam dicta alia poetae, ut Catullus, et Ouidius in Fastis: alia quoque Diodorus, qui et hoc ait, Cybelen clam cum Aty concubuisse: parentes id cum intellexissent, Atym et nutrices interfecere, et insepultos abiecerunt: Cybelen insanam factam, sparsis capillis urbem solam psallendo circuissse, et eam sequi solitum Marsyam. haec ferme Diodorus. qui non multo post subdit: Phrygas a morbo occupatos, adeo ut nec terra fructus redderet, scitatos esse propterea oraculum. quibus illud responsum, ut Atys corpus sepelirent, et Cybelem deam uenerarentur. uerum Atys corpore non inuento, eius simulachrum Phryges effecere, et Cybelis aram, ad quam rem diuinam facerent. Quare uero Atys se castrauerit, lege allegoriam apud D. Augustinum libro VII. de Ciuitate dei, ex Porphyrii sententia. Eusebius autem in tertio de Praeparatione euangelica, Atys, inquit, maxime flores significat, qui antequam ad fructum ueniant, defluunt, quapropter pudenda ei fuisse incisa feruntur: quoniam flores defluxi, semina producunt. Fulgentius etiam in Mythologico, Atym florem significare interpretatur: et super id citat Sosidem Atticum. Sane quae de Atti mystica et arcana celebrabantur, ea scriptis manifestauit, ut est apud Arpocratonem. Initia [p.190] et mysteria deae Cybelis Catullus crotalum et tympanum fuisse ostendit, ita canens, Niueis citata capit manibus breue crotalum, Leue tympanum Cybelle tua mater initia. Lucretius quoque tympana et cymbala adhibet, idque pluribus uersibus. Sed et Ouidius in quarto: atque id a Corybantibus et Curetibus per imitationem acceptum. Varro tamen et Augustinus libro VII. de Ciuitate dei, per tympanum significari orbem terrae, per cymbalorum sonitus ferramentorum ictus: quae in Magnae matris interpretatione dicenda. Vergilius de his sacris mollibus:

Ite (ait) per alta

Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum,

Tympana uos buxusque uocat Berecynthia matris

Idaeae, sinite arma uiris, et credite ferro.

Hinc noster Picus haec ridens in hymno ad Virginem:

Semiuiui tam non ululata ad Dindyma Galli,

Nec Cybeles gemini coeunt ad frena leones,

Vt dominam Matremque deum cum turribus altis

Excipiant, fictoque uehant per inania curru.

Romae uetustum epigramma legitur, cuius hi duo primi uersus:

Qui colitis Cybelem, et qui phryga plangitis Atyn,

Dum uacat, et tacita Dindyma nocte silent,

Flete meos cineres, etc.

De eisdem item Lactantius: Ab hoc, inquit, genere sacrorum non minoris insaniae iudicanda sunt publica illa sacra, quorum alia sunt Matris deum, in quibus homines suis ipsi uirilibus litant. amputato enim sexu, non uiros se, nec foeminas faciunt. Tibullus ad haec sacra respicit, cum canit:

Idaeae currus ille sequatur Opis.

Et tercentenas erroribus impleat urbes,

Et seceat ad Phrygios uilia membra modos.

Ouidius:

Mollesque ministri Cedunt iactatis uilia membra comis.

Hinc et ipsa dea a furore uocata est interdum Enthea. Martialis:

Cum sectus ululat matris Entheae Gallus.

Orpheus etiam Φιλοιστρομανῆ, id est oestro furentem cognominauit in hymnis, et Τυμπανόδουπον, id est tympanicrepam. His quidem insanis ac furentibus ministris et sacerdotibus stipes et aera petere moris fuit, ut manifeste monstrat Lucretius, eodem quo supra loco, in quo de Magna matre agit:

Ergo cum primum magnas inuecta per urbes,

Munificat tacita mortales muta salute,

Aere atque argento sternunt iter, omnia mirum

Largifica stipe ditantes, etc.

Ouidius in Fastis: [p.191]

Dic inquam parua cur stipe quaerat opes?

Contulit aes populis, de quo delubra Metellus

Fecit, ait, dandae mos stipis inde manet.

M. Cicero in libris de Legibus, Praeter Idaeae matris famulos, eosque iustis diebus, ne quis

stipem cogito. subdit quare: Stipem sustulimus, nisi eam quam ad paucos dies propriam Idaeae matris excepimus. Implet enim superstitione animos, et exhaurit domos. Augustinus etiam libro VII. De mollibus, inquit, eidem matri Magnae contra omnem uirorum mulierumque uerecundiam consecratis, qui usque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu foemineo per plateas, uicosque Carthaginis, etiam a populis unde turpiter uiuerent, exigebant: et reliqua, quae multa eo loco D. Aurelius. Vide de his etiam apud Apuleium plura, libro VIII. Metamorphoseon. Hos porro sacerdotes Gallos uocatos fuisse, notissimum est: qui et Semiuii dicti, quia castrati et execti. Et Galli quidem a flumine Phrygiae, auctore Festo: quia qui ex eo bibissent, in eo furere incipiebant, adeo ut se uirilitalis parte priuarent. Alii id fecisse dixerunt, ne fieri possent parentes, uiolato patris matrisue nomine. quidam tamen Gallum puerum ipsum putauere, qui contracta offensa deae se executerit, et simul fluuii nomen dederit. Horum uero sacerdotum antistites Archigalli nominabantur, ut in antiquis elogiis aduertimus. Epitaphium est Romae in S. Martina in montibus, dignum ut hic ascribatur: D.M.C. Camerius Crescens Archigallus Matris Deum Magnae Idaeae et Attis Po. Ro. Viuus Sibi Fecit et Camerio Eucratis Lib. Suo. Caeteris autem Libertis Vtriusque Sexus Loca Singula Sepulturae Causa. H.M.H.N.S. Plinius libro XXXV. de picturis Parrhasii: Pinxit, inquit, et Archigallum, quam picturam amauit Tiberius princeps, atque, ut auctor est Decius, Eculeo LX-HS aestimatam cubiculo suo inclusit. Est item Archigalli mentio apud Villium, seu ut uulgo dicitur, Iulium Firmicum. Ridet Tertullianus his uerbis eum qui pro Caesare precabatur, qui iam defunctus erat. M. Aurelio, inquit, apud Sirmium reipublicae exempto, die XVI. Kalend. April. Archigallus ille sanctissimus die nono Kalend. earundem, quo sanguinem impurum lacertosque castrando libabat, pro salute Imperatoris Marci iam intercepti. D. uero Augustinus libro secundo de Dei ciuitate cum ridet quae in sacris turpia agerentur a gentibus: Adolescentes, inquit, spectabamus arreptitios, Gallos puto: audiebamus symphonicos ludis turpissimos qui deis deabusque exhibebantur: oblectabamur, coelestique uirgini Berecynthiae

matri deorum omnium, etc. Cur uirginem appellet, nescio. Subdit ipse Augustinus: Ante cuius lecticam die solenni lauationis eius talia per publicum cantabantur a nequissimis scenicis, qualia non [p.192] dico matrem deorum, sed matrem qualemcunque senatorum, uel quorumlibet honestorem uirorum, immo uero qualia nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire, etc. his uerbis Augustinus attingit pompam sacrorum, quae a Gallis sacerdotibus ad Almonem fluuium quotannis agebatur, qui fluuius non procul ab urbe Tiberino miscetur, cuius Vibius Sequester ad Vergilianum filium meminit his uerbis: Almon, ait, ubi Mater deum, VI. Kalend. Aprilis lauatur. Ammianus libro XXIII. Diem, inquit, sextum Kal. quo Romae matri deorum pompae celebrantur annales, et carpentum quo uehitur simulachrum Almonis undis ablui perhibetur. Abluebatur uero Magnae matris simulachrum, quod e Pesinunte allatum fuerat. hinc Lucanus in primo,

Et lotam paruo reuocant Almone Cybellem.

Ouidius in Fastis:

Est locus in Tiberim quo lubricus influit Almon,

Et nomen magno perdit in amne minor.

Illic purpurea canus cum ueste sacerdos

Almonis dominam sacraque lauit aquis.

Valerius Flaccus VIII. Argonauticon:

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,

Laetaque iam Cybele.

Et Claudianus:

Praelatoque lauas Phrygios Almone leones.

Quod autem turpia ac obscoena passim iactarentur, etiam Herodianus in historia Commodi testatur. ita enim scribit: Veris initio solennique die pompam Matri deum Romani celebrant, in ea quae apud quemque sunt diuitiarum praecipua, supellexque pleraque imperatoria materiae aut artis spectandae, praeferrunt ante deam solent, passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas induant, quas cuique libitum: nullamque non magistratum quoque imaginem, prout cuiusque studium, repraesentent, sic ut non temere a falsis ueros dinoscas. Hactenus Herodianus. Sed par est, ut hoc etiam loco tibi exponam uarias de Gallis sacerdotibus sententias, quae leguntur. Festus: Galli, inquit, qui uocantur Matris magnae comites, dicti sunt a flumine, cui nomen est Gallo: quia eo qui biberent, in hoc furere

incipiunt, ut se priuent uirilitatis parte. Ouidius in III.:

Inter, ait, uiridem Cybelen, altasque Celaenas
Amnis it, insana nomine Gallus aqua.

Qui bibit inde, furit: procul hinc discedite,
queis est

Cura bonae mentis: qui bibit inde, furit.

Attribuuntur autem Galli, ut Lucretius canit
in secundo:

Gallos attribuunt, quia numen qui uiolarint
Matris, et ingrati genitoribus inuenti sunt,
[p.193]

Significare uolunt indignos esse putandos,
Viuiam progeniem qui in oras luminis edant.

Aliam insuper ex Varrone Augustinus recitat
opinionem, quam in Magnae matris
interpretatione referam: aliam quoque huius
deae et Atys allegoriam Fulgentius Placiades in
tertio Mythologicon confingit, quam, ut iam
modum faciam, nunc ipse missam facio.

Magna mater, et Mater deum, graece
Μεγάλη Μήτηρ, καὶ θεῶν μήτηρ, καὶ μητρῶα.
Orpheus Μήτηρ μέντε θεῶν, ἡδὲ θνητῶν
ἀνθρώπων, id est, Haec una est hominum
mater, materque deorum. Orpheus quidem
seorsum tres hymnos concinuit, quorum
primum Rheae dixit, cum aromatibus: alterum
Telluri, cum omni genere seminum, praeter
fabas et aromata: tertium Matri deum, cum
uariarum rerum suffitu. Idem tamen Orpheus,
teste Diodoro, Terram omnium matrem dixit,
diuitias et opes largientem: uel, ut diximus,
quod remedia multis non modum pecorum,
sed et hominum, in primis puerorum morbis
excogitarit: quod idem Diodorus prodit.
Seruius grammaticus Matrem deum appellari
putat, quod ipsa sit ex iis deis, qui ἄζωνοι
dicuntur: id est, qui coeli certas non habent
partes, sed ubique generatim ab omnibus
coluntur, ut Mater (inquit) deum, cuius
potestas in omnibus zonis est, et communis
eius est potestas. haec ille, et alia praeterea.
Magna mater sic a Martiano confingitur:
Grandaeua, corpulentaque Mater, quamuis
foecunda circumfusaque partibus, tamen
floridam discoloramque uestem herbida palla
contexuerat, in qua totus gemmarum
metallorumque census, atque omnium
prouentus, frugumque et sationum, larga
admodum ubertate ferebantur. haec quidem
Martianus. Qui allium gustassent, arcebantur
procul ab huius deae templo, ut Athenaeus
scribit. De Magnae matris templo legimus,
quod non manibus, sed precibus aperiebatur.

unde uult Seruius illud a Sibylla dictum in VI.
Cessas in uota precesque, etc. Sic uero de
Magna matre Varro apud Augustinum, in VII.
de Ciuitate dei: Tellurem eandem dictam esse
Magnam matrem ait: quod tympanum habeat,
significari esse orbem terrae: quod turres in
capite, oppida: quod sedes figatur circa eam,
cum omnia moueantur, ipsam non moueri:
quod Gallos huic deae ut seruirent fecerunt,
significat eos qui semine indigeant, terram
sequi oportere, in ea quippe omnia reperiri:
quod sedes apud eam iaceant, praecipitur
(inquit) qui terram colant, ne sedeant, semper
enim esse quod agant. Cymbalorum sonitus,
ferramentorum ictus iactatorum, ac manuum,
et eius rei crepitus in colendo qui fit, significat,
quod ferramenta illa erant ideo ex aere, quod
eam antiqui colebant aere, antequam ferrum
esset inuentum. quin teste Hesychio, ab eo
aeris sonitu, dea ipsa Χαλκόκροτος a Graecis
nuncupata [p.194] est. Sequitur Augustinus:
Leonem, inquit, adiungunt solutum ac
mansuetum, ut ostendant, nullum esse genus
terrae tam remotum, ac uehementer ferum,
quod non subiici cuique conueniat. deinde
adiungit, et dicit Tellurem, et Matrem, et
nominibus plurimis et cognominibus
nominatam, et reliqua quae Varro, immo
Augustinus ipse scribit. Addit Isidorus libro
VIII. quod simulachrum eius cum clau
fingebatur, quia hyeme tellus clauditur, uere
aperitur, ut fruges nascantur. Sed et de Magna
matre extat Lucretii praeclarum carmen libro
secundo de Rerum natura, quod et ante citau
ad quod examinandum uel hoc te principium
inuitat,

Quare magna deum mater, materque
ferarum,

Et nostri genitrix haec dicta est corporis una:
Hanc ueteres Graium docti cecinere poetae,
Sedibus in curru biugos agitare leones, etc.

ne nimius sim. Plus enim quam sex et XL
uersus ea de re exposuit doctissimus poeta.
Sed iam ad reliqua redeo, quae institueram de
BONA DEA dicere. Cornelius Labeo et ipse
hanc Magnam matrem, et terram, et Maiam
esse existimabat, ut ostendere Macrobius
laborat: quod sus praegnans ei mactaretur,
quae proprie terrae hostia fuerat. Idem Labeo,
et hanc Maiam Bonae deae nomine
nuncupatam asserit, et ei Kalen. Maii aedem
fuisse dicatam. ait insuper, Bonam deam et
terram ex ipso ritu occultiore sacrorum
eandem esse doceri posse. quin et eandem,

Bonam, Faunamque, et Opem, et Fatuam, pontificum libris indigitari solitam fuisse. Bonam, quod omnium nobis ad uictum bonorum causa est: Faunam, quod omni usui animantium fauere putaretur: Opem, quod ipsius auxilio uita constare crederetur: Fatuam uero a fando, quod infantes partu editi non prius uocem edere crederentur, quam terram ipsam attingerent. Putabat Varro hanc Dryadem fuisse, Fauni filiam: uel ut Plutarchus refert, uxorem. nonnulli graecorum ex Liberi nutricibus fuisse, quam ne fari liceat existimabant. unde et mulieres cum ei festos dies peragebant, tabernacula uutiligineis intexebant ramis, sacrumque draconem deae secundum fabulam erigere solebant, ut ait Plutarchus. Sunt qui deam hanc affirmant Iunonis potentiam habuisse, ideoque regale sceptrum in sinistra manu ei additum. Eandem alii Proserpinam crediderunt, porcaque ei rem diuinam fieri solitam: quia segetes, quas Ceres mortalibus tribuisse ferebatur, porca depasceret. Alii Hecaten Chthoniam, Boeotii Semelem credebant. Plerique Fauni filiam dixerunt, quae obstiterit in amore patris uoluntati lapsi, ita ut uirga myrtea ab eo uerberaretur, cum desiderio patris nec uino pressa cessisset. demum tamen pater in serpentem se transfigurasse, et cum filia coiisse creditur. [p.195] Horum hoc tale proferunt indicium, quod uirgam myrteam in eius templo haberi nefas fuerit, et quod super caput eius extenderetur uitis, qua maxime causa eam pater decipere tentauerit: quod uinum in templum eius non suo nomine soleret inferri, sed uas in quo uinum inditum esset, mellarium nominaretur, et uinum lac: quodque serpentes in eius templo nec terrentes, nec timentes apparerent. Sextus Clodius, qui graece scripsit, ut recitat Lactantius, prodit, hanc uero uxorem Fauni fuisse: quae quia contra morem decusque regium clam uini ollam ebibisset, et ebria facta esset, uirgis myrteis a uiro usque ad mortem caesa est. postea cum regem facti sui poeniteret, et uxoris desiderium ferre non nosset, diuinum illi nomen detulisse fertur, iccircoque in sacris eius obuolutam uini amphoram poni solitam. haec Clodius, uel potius Lactantius. Plutarchus in Problematis ita hanc historiam recitat: Flauii diuinatorem uxorem fuisse, quae clam cum uinum largius biberet, a marito deprehensa, flagris caesa est. atque inde factum, ut myrtus in eius deae aedem non inferretur: uinumque cum mulieres

ebiberent, non uinum, sed lac appellarent. Considerandum in Plutarchi Problematis, id est, Romanis capitibus male latine scribi: Quid est, inquit, quod Florae, quam Bonam deam nominant, omni florum genere templum exornantes, etc. Cum pro Flora, Gynaeceae deae scribendum sit, quam Bonam uocant: quod alia probatione non indiget, cum ita certe graece, ut nos exposuimus, legatur. Tum etiam ibidem paulo post, cum Floram Flauii uatis uxorem latinus interpretes dicat, perperam factum est. nam Florae nomen utique additum est: id quod plerisque uiris etiam eruditissimis errandi causam praestitit, ut Bonam deam eandem cum Flora fecerint, cum secus sit omnino, et eius nihil omnino Plutarchus tradiderit. Quidam praeterea deam hanc Medeam putauere, quod in eius aede omne genus herbarum esset, ex quibus antistites plerumque medicinas exhiberent: et quod templum eius uirum introire non licebat, propter iniuriam, quam ab ingrato uiro Iasone ipsa perpressa fuisset. Haec θεὸς γυναικεία, ut Plutarchus et Macrobius ostendunt, dicebatur, Κυρρῶνας nomine, ut ait Hesychius. Gynaecea uero, quam quidam inepte Genesiam uocant, dea existimata fuit, quae ex corruptibilibus generationem facere putaretur. Cui cum res diuina fiebat, optabant nemini bonum euenire, qui domi nasceretur. stulta et uana precatio. Sed haec Geneta, id est Γενείτα in graeco Plutarchi exemplari dicitur. ait enim: Cur Genetae nuncupatae soli canem immolant? quod sacrum alienum mihi esse uidetur a Bona dea. Fuit et Cynetia dea, de qua in Neruene actum est: sed sequar de Bona dea. quam Varro Fauni filiam dixit, adeo pudicam ut extra gynaeconitum nunquam tradatur egressa, neque nomen eius in publico [p.196] fuerit auditum, nec uirum unquam uiderit, uel a uiro uisa fuerit, propter quod nec uir templum eius ingrediebatur. Hanc historiam, si non potius superstitionem cerimoniam, cum aliter recitet Lactantius ex eiusdem Varronis sententia, me existimare facit, in Macrobii codicibus erratum esse: quod ut quiuis ex se percipere possit, Lactantii uerba apposui: eandem, inquit, Faunam Varro scribit tantae pudicitiae fuisse, ut nemo eam quoad uixerit (praeter uirum suum) mas uiderit, nec nomen eius audierit. Iccirco ubi mulieres in operto sacrificabant, Bonam deam nominabant. hinc dictum est ab Iuuenale,

Nota Bonae secreta deae.

Et a Tibullo:

Sacra Bonae maribus non adeunda deae.

quae tamen a P. Clodio uiolata fuerunt, ut in primis de Aruspiciis responsis M. Cicero, et Plutarchus, et alii prodiderunt. qua de re et Seneca in Epistolis ita: Credat, ait, aliquis pecuniam esse uersatam in eo iudicio, quo reus erat Clodius, ob id adulterium, quod cum Caesaris uxore in operto commiserat, uiolatis religionibus eius sacrificii, quod pro populo fieri dicebatur: sic semotis extra conspectum omnibus uiris, ut picturae quoque masculorum animalium contegerentur. ita inquam uiri his sacris arcebantur, ut cum in Italia cum bobus Geryonis Hercules sitiens transiret, et ei petenti aquam, mulier respondisset, se ei praestare non posse, quod foeminarum deae dies celebraretur, nec ex eo apparatu uiris gustare liceret: execratus hoc sacrum, et ipse a suis sacris mulieres arcendas Pinario et Potitio sacrorum suorum custodibus praecepit. Macrobius auctor, et ex parte Athenaeus, Plutarchus: sed copiosissime et elegantissime Propertius libro quarto elegiarum ad Herculem.

Idaea mater etiam Cybele dicta fuit, uel ab Ida Crete, uel potius ab Ida Phrygiae: utrobique enim culta fuit, ut ostensum est. Lucretius libro secundo,

Hanc uariae gentes antiquo more sacrorum,
Idaeam uocitant matrem.

Vergilius:

Alma parens Idaea uirum, etc.

Ouidius in Fastis:

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu

Flabit, et Idaeae festa parentis erunt.

Item alio loco Vergilius:

Buxusque uocat Berecynthia matris Idaeae.

Illi uero mons Ida consecratus, a quo et ipsa uocata est: quoniam a longe et procul ἔστιν ἰδεῖν, id est, uidere est, cum tempestates et pluuiae fiunt. quin etiam Montana ipsa cognominata, id est Ὀρεία, est, ut Phornutus ostendit. Aedes deae Cybeles in Ida pulchre describitur a Claudiano poeta, de Cerere loquente, in primo de Raptu Proserpinae:

Sic ait, et fuluis serpentibus attigit Idam [p.197]

Hic aedes augusta deae, templique colendi
Religiosa silex, densis quam pinus obumbrat
Frondebis, et nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferis modulantur carmina ramis.
Terribiles intus thyasi, uesanaque mixto
Concentu delubra gemunt, ululatus Idae

Bacchatur, timidus inclinant Gargara sylvas.

Postquam uisa Ceres, mugitum tympana frenant,

Conticuere chori, Corybas non impulit ensem,

Non buxus, non aera sonant, blandique leones

Summisere iubas: adytis gauisa Cybelle

Exilit, et pronas intendit ad oscula tures.

Et haec Claudianus. Notissima uero est historia apud Lactantium, Liuium, Valerium, Augustinum, et alios, Claudiae uirginis uestalis: cum ex libris Sibyllinis Idaea mater esset Romam accita, et nauis qua uehebatur uado haesisset, Claudia, quae ex nimio cultu impudica habebatur, suo cingulo eam nauem facillime traxit: quod miraculum consimile accidisse ferunt de Herculis statua, quae e Tyro rate Erythras aduecta est, ut in Hercule dicitur. Scribit diligentissimus antiquitatum Romanarum auctor Dionysius Alicarnasseus libro secundo Historiarum sacrificia Idaeae deae quotannis, et certamina praetores Romanos agere solitos fuisse, Romanis legibus. sacra tamen ea non Romani peragebant, sed uir et mulier Phryges, qui illa per urbem circunducebant, congregantes matronas (qui mos fuit illis) imagines pectoribus annectentes, decantantesque ipsi a sequentibus matronalibus carminibus, tympana tenentes. Romanorum autem indigenarum nec matronas ullus congregans, neque cantibus tibiarum septus per urbem incedebat, uariam indutus stolam, neque colens deam Phrygiis cerimoniis. Haec ferme Dionysius: ostendens, Romanos peregrinis externisque religionibus minus studuisse. id quod tamen satyrici poetae identidem illis obiiciunt. Libet ex libro IX. Decados III. Liuii particulam ascribere, de ipsius deae aduentu in urbem. Nam cum paulo ante ex Sibyllinis uersibus legatos quinque ostendisset in Asiam missos ad Attalum, ut ex Pesinunte Romam deferrent, et id Rex ipse procurasset, ita subinfert: Eo, inquit, accessit consultatio de matre Idaea accipienda, quam praeterquam quod M. Valerius unus ex legatis regressus, actutum in Italia fore nunciauerat, recens nuncius aderat, Terracinae iam esse. tunc haud paruae rei iudicium senatum tenebat, qui uir optimus in ciuitate esset. ueram certe uictoriam eius rei sibi quisque mallet, quam ulla imperia, honoresue suffragio seu patrum, seu plebis delatos, P.C. P. Scipionem Cn. [p.198] filium, eius qui in

Hispania occiderat, adolescentem nodum quaestorium, iudicauerunt in tota ciuitate uirum optimum esse. id quibus uirtutibus inducti ita iudicauerint, sicut traditum a proximis memoriae temporum illorum scriptoribus, libens posteris tradiderim: ita meas opiniones, coniectando rem uetustate obrutam, non interponam. P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam ire iussus obuam deae, isque eam de naue acciperet, et in terram elatam traderet ferendam matronis. postquam nauis ad Ostium amnis Tyberini accessit, sicut erat iussus, in salum naue euectus, a sacerdotibus eam accepit, extulitque in terram. Matronae primores ciuitatis, inter quas unius Claudiae Quintiae insigne est nomen, accipere: cui dubia, ut traditur, antea fama, clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. eae per manus succedentes deinde aliae aliis, omni effusa ciuitate obuam, thurribulis ante ianuas positis, qua perferebatur, atque accenso thure, precantibus, ut uolens propitiaque urbem Romam iniret, in aedem Victoriae, quae est in Palatio, pertulere deam pridie idus Aprilis, isque dies festus fuit. populus frequens dona deae in Palatio tulit, lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia appellata. Hactenus quidem de aduentu in urbem deae. Libro uero de bello Macedonico VI. Per idem, inquit, tempus fere aedes matris magnae Idaeae dedicata est, quam deam is P. Cornelius aduectam ex Asia, P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio Coss. in Palatium a mari detulerat. locauerant aedem faciendam M. Liuius, C. Claudius, censores, M. Cornelio, T. Sempronio Coss. XIII. anno postea quam locata erat, dedicauit eam M. Iunius Brutus. Iudique ab dedicationem eius facti: quos primos scenicos fuisse, Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos.

Berecynthia mater deorum dicitur, et Phrygia, ut in primis docet Strabo. Vergilius in sexto,

Qualis Berecynthia mater

Inuehitur curru Phrygiæ turrata per urbes,

Laeta deum partu, centum complexa nepotes.

Berecynthus, inquit Seruius, castellum est Phrygiae iuxta Sangarium fluuium, ubi mater deum colebatur. Fulgentius uero in tertio ait, quod ea Berecynthis montibus praeesset. Cynthus enim, ut idem scribit, Attica lingua flos nuncupatur: unde et hiacynthus dicitur,

non ut ipse interpretatur Fulgentius, quasi solus flos, sed uiolae flos, ut ego arbitror. Agatharchides in libro Phrygiacon, ait Berecynthiam primum fuisse Matris deum sacerdotem, qui monti nomen dedit. Putat Hesychius, Phrygiam prius uocatam Berecynthiam, et absque afflatu scribit: tum etiam genus quoddam Phrygum Berecynthas [p.199] fuisse ait: id quod et Strabo testatur in X., quo loco de Rhea et Berecynthia agit. Subiungit Hesychius, et tibia Berecynthia: aliaque insuper addit, quae ad rem non faciunt. Idem tamen alibi Berecynthas per d scribit, et eo nomine ait Phrygas daemones nuncupari. Et θρύγες etiam Phryges, uel barbaros, uel soloecistas, hoc est incondite loquentes. Iuba uero, a Lydis dicere uidetur Briga Liberum significare. Phrygia quoque haec dea uocata, et cum alii, tum etiam Phurnutus scribit, quod celebri cultu apud Phryges celebraretur.

Δαμία, Damia, ut Festus scribit, Bona dea cognominata est, et eius sacerdos δαμίας, unde et Damium, eodem auctore, sacrificium, quod in operto fiebat in ipsius Bonae deae honorem. dictum uidetur a contrario, quod minime esset δημόσιον, id est publicum. η enim litera nonnumquam apud nos in a conuertitur. Sane Bonae deae aedes Subsaxanae, in XII. regione urbis fuit: P. Victor.

Metragyrtes, Μητραγύρτης, Magna mater a Graecis uocata, eiusue sacerdos, ut in tertio scribit Iulius Pollux: et μητριάζειν, festum huius deae celebrare. hinc Plutarchus in Cleomenis uita (quanquam latinus interpret male exposuerit) quo loco Ptolemaeum irridens Plutarchus. Metragyrtem nuncupat, quasi mollem et effoeminatum: ad Cybelis, uel sacerdotum eius similitudinem ille mitratum interpretatus est. Legimus Metragyrtae statuam Athenis fuisse, qui cum mulieres Matri deum initiaret, ab Atheniensibus necatus est. Budaeus Μητραγύρτας et ipse interpretatur, Matris deum sacerdotes stipem cogentes, tympanaque gestantes. Origenes quoque libro primo contra Celsum, de Metragyrte meminit, licet perperam in peruulgatis codicibus legatur. quare mirum est, uirum doctissimum Erasmus allucinatam in hoc uocabulo. nam a Mithra Persarum deo uocabulum deduxit, in prouerbio, Mitragyrtes non daduchus.

Cybeca, Κυβήκη etiam mater deum uocata fuit, teste Hesychio. Sed et Venus hoc nomine fuit: et ut alii dicunt, Diana etiam, et Βένδης, ut in Dianae cognominibus ostensum. Idem

scribit et Phauorinus. Strabo etiam Cyben uocatam hanc deam scribit, ut supra retuli.

Pasitheam etiam Cybelen nuncupari quidam existimant, quod deorum omnium mater uocaretur. illudque afferunt Catulli: Trepidantem eum recepit dea Pasithea sinu. quasi πᾶσι θεοῖς μήτηρ, id est omnibus deis mater. Porro Pasitheam Homerus inter Gratias, id est Charites commemorat. Itemque inter Leonis tres filias, ut in Gratiis ostendimus.

Isodroma mater a nonnullis uocatur. Strabo libro X. de Larissae nomine: Urbibus supra oppidum ad Caystri campum, qua per mediterraneum itur ad Isodemees matris templum, situm habens similem, [p.200] locique uirtutem ipsi quam diximus pensili Larissae, etc.

Πυργοφόρος, hoc est Turrigera et Turrita a graecis uocata Magna mater, ut in graeco libello legimus, in quo deorum antiquorum imagines conscribuntur, ubi de simulachro agit turrim ferente, ubi ita meis uerbis legitur: Prisci terram uocabant Cererem, quoniam ἔδρα, id est sedes est totius ciuitatis terra. Et quoniam etiam contineat ciuitates, πυργοφόρος uocatur: sed et latini Turritam et Turrigeram appellant. quin et eius adhuc marmoreae statuae tales cernuntur, hoc est turritas coronas in capite gerentes. Propertius,

Claudia turritae rara ministra deae.

Papinius:

Ille Phryges lucos matri penetralia caedit Turrigerae.

Vergilius,

Inuehitur curru Phrygias turrita per urbes.

Tradit Phornutus, quod πύργωτος στέφανος, id est turrita corona adhiberi solita sit huic deae, propter urbes et arces, quae in summitate montium fiebant antiquitus: et quae caetera dicit. Porro et hanc eandem legimus querna coronari corona, quod Apollodorus prodidit, et in Apollonii commentariis referunt. quin etiam pinu aliquando, quae illi dicata existimabatur, coronabant. unde apud Martialem pinus loquitur,

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede uiator,

Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Tametsi Constantinus Caesar in libro Geoponon aliter scribit, ut in Pane deo referam.

Mygdonia mater etiam Cybele uocata fuit, uel a Mygdonia Phrygiae, ubi colebatur: uel a

Mygdono, de quo sic fere Diodorus, Nonnulli, inquit, uolunt Idaeos dactylos ex Ida, quae est in Phrygia, extitisse, indeque cum Mygdono transcendisse in Europam, diuinandi arte peritos cantum docuisse, initiationes et mysteria. Valerius Flaccus,

Mygdoniae Pan iussa ferens saeuissima Matris.

Idem libro VIII.,

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,

Laetaque iam Cybele, festaeque per oppida tetae.

Eadem ratione et Phrygia dicitur, ut ex poetis et Strabone, et Cornuto uidemus in primis.

Antaea, Ἀνταία Rheam uocat Apollonius Rhodius in primo Argonauticon, ut interpretes scribunt, propterea quod Telchinibus facta sit contraria. Orpheus quoque in hymnis, ei hymnum matri Antaeae dedicat, cum thymiamate aromaton,

Ἄνταία βασιλεία, θεὰ πολύνυμε μήτηρ,

ἀθανάτων τε θεῶν, ἥδ' ἐ θνητῶν ἀνθρώπων, hoc est: Antaea regina, dea multinomia mater, immortaliumque deum, mortaliumque hominum, etc. Opis, uel potius Ops, dicta est coniunx Saturni, ait Festus: per quam uoluerunt terram significare, quia omnes opes humano generi terra tribuit. unde et opulenti, terrestribus rebus copiosi: et hostiae opimae, praecipue pingues: et opima, magnifica et ampla spolia. [p.201] Hinc etiam Opalia dies festi dicebantur, quibus Opi supplicabatur, eodem Festo auctore. Opalia quidem Macrobius commemorat inter Saturnalia mense decembri. Et quoniam uxor Saturni credebatur, agrorum cultoris, a satu nominati, et cum falce fingebatur, insigne agricolae, ita et illa quoque cognominata Consiua est, et terra existimabatur: ideoque in regia colebatur. De Ope uero Consiua Varro de Lingua latina his uerbis: Ope Consiua dies, inquit, ab dea Ope Consiua, cuius in regia sacrarium: quod ideo actum, ut eo praeter uirgines uestales et sacerdotem publicum introeat nemo: is cum eat, suffibulum haud habeat. scriptum id dicitur, ut a suffiendo subligaculum. Sane quidam libentius pro Saturni uxore Ops legunt. Opis enim Diana est, ut dicemus. Ausonius in monosyllabis,

Prima deum Fas, Quae Themis est Graiis: post hanc Rhea, quae Latiis Ops.

Et Varro: Terra, inquit, Ops, quod hic omne opus, et hic opus ad uiuendum. Ideo dicitur Ops mater, quod terra mater: quae Ops in obliquis primam corripit. Tibullus,

Idaeae currus ille sequatur Opis.

Idem Varro apud Augustinum VII. de Ciuitate dei: Tellurem, inquit, putant esse Opem, quod ope fiat melior: Matrem, quod plurima pariat: Magnam, quod cibum paret: Proserpinam, quod ex ea proserpant fruges: Vestam, quod uestiatur herbis. Huic deae sedentes uota concipiebant, terramque de industria tangebant, demonstrantes ipsam matrem terram. Philochorus, Saturno et Opi primum in Attica aram statuisse Cecropem scribit.

Titea inter Coeli, id est Οὐρανοῦ uxores fuit, ex qua XVII filios sustulit, qui Titanes a matre dicti sunt, ut in Atlantidum theologia legitur. Titea, cum prudentia plurimum mortalibus profuisset, post obitum in deorum numerum relata, et terra cognominata est. filias etiam duas habuit, βασιλείαν, id est reginam, ut Diodorus scribit: et Rheam, quam Pandoram uocabant. Βασιλεία annis, prudentia et uirtute praestantior, fratres in matris gratiam educauit, ideoque Magna mater est appellata. haec patre defuncto, et facto deo, de fratrum consensu regnum administravit, nulli adhuc nupta: sed cum liberos suscipere cuperet, Hyperionem fratrem uirum accepit, ex quo duos filios peperit, Solem et Lunam: quorum formam prudentiamque admirantibus omnibus tradunt, reliquos fratres prolis inuidia actos, ueritosque ne aliquando imperium ad Hyperiona ueniret, scelesto excogitato facinore fratrem communi consilio obruncasse: Solem adhuc puerum in flumen Eridanum proiectum, suffocatumque fuisse. qua re uulgata, Luna praeter modum fratrem diligens, ex tecto se praecipitem dedit. Matri quaerenti iuxta flumen corpus, cum in somnum incidisset, uisum ei per somnium est, a Sole se consolari, ne lugeret: homicidias poenas duros. dicente se coelestem ignem, id est Ἥλιον futurum: sororem uero Μῆνα, Lunam, id est Σελήναν uocandam [p.202] esse. Somno experrecta, rem uulgasse dicitur, et filios deos consecrasse, et innupta posthac uixisse: et facta insana, tympana cymbalaeque quatiens, per urbem sparsis passim crinibus errasse. Tandem coorto hymbre et iactis fulminibus reginam euanuisse, nec uisam amplius fuisse ferunt. quam rem populus cernens, Ἥλιου καὶ Σελήνης nomina ad astra

transtulit, Reginamque deam et Matrem uocitauit, et sacra illi cymbalis et tympanis cerebrata peregit. Sane et idem Diodorus alio loco de Titea nonnihilo euariat, ex Cretensium uidelicet historia. Porro Aramaei Titheam et ipsi aiunt, quoniam mater erat Aretia, id est terra dicta, post mortem Vestam uocauerunt. Sed haec nimis superstitiosa, curiosis mittamus, qui Titheam uolunt esse Iani uxorem: et Ianum ipsum Nochum, id est Noac arbitrantur. Commentatores etiam Apollonii in primo Argonauticon scribunt ex Menandri sententia, Milesios, cum Rheae sacrificarent, prius Titiae rem sacram facere solitos fuisse: subiungitque et de heroe Titio, qui Iouis filius fuerit: uel ut alii, inter Mariandyni Cimmerii liberos seniore.

Pesinuntia dea, quae a plerisque corrupte Pesimontia dicta est, Magna deum mater uocata est, de qua breuissime referam, quae pluribus ab Herodiano libro primo Historiarum traduntur. Simulachrum, inquit, a coelo cecidisse ferunt in quendam Phrygiae agrum, qui ab eo casu Pesinus appellatus est: alii licet aliter referant. In hoc igitur loco Pesinunte Phryges orgia ipse deae agitabant, apud Gallum fluuium, a quo et sacerdotes appellati. sed cum Romani rerum potirentur, oraculum acceperunt, res suas in dies magis auctum iri, si Pesinuntiam deam ad se transtulissent. Proinde legatos petitem miserunt: ac facile id impetrarunt. deuectum simulachrum ex Phrygia, et magnifice ac religiose collocatum est, ut ex Liuio alibi locupletius recitauit. Ammianus Marcellinus libro historiae XXI. quo loco de Iuliano Caesare agit, alia quaedam recenset, inter quae et hoc: Quamobrem hoc nomine oppidum sit appellatum, uariant rerum scriptores. Quidam enim figmento deae coelitus lapso πέσσειν, quod cadere nos dicimus, urbem asseruere cognominatam, alii memorant, Iulum Trois filium Dardaniae regem, locum sic appellasse. Theopompus non Iulum, sed Midam affirmat Phrygiae quondam potentissimum regem. Et haec ferme Ammianus, quae et confirmantur ab Arnobio in secundo aduersus Gentes ita scribente: Quid, inquit, Phrygiam matrem, cuius esse conditor iudicatur uel Midas, uel Dardanus, etc.

Phasiane, hoc est Φασιάνη θεός, describitur ab Arriano in Periplo Ponti Euxini. ait enim, quod ingredientibus Phasin fluuium, in dextra est erecta dea Phasiane, quam ille subueretur

ex eius figura an dea Rhea sit. Nam in manu (inquit) cymbalum tenet, et leones sunt sub eius throno, ut in μητρῶν id est, in templo [p.203] Matris deum Athenis, quae a Phidia fabrefacta fuit. neque de Phasiane dea plura memini me legere.

Lemnus mater deorum antiquitus nuncupata, ut Stephanus scribit, cui et uirgines sacrificare soliti fuerant, et ab ipsius deae nomine Lemnus insula nuncupata fuit. hanc uero primum Thraces incoluere, qui Sinties uocabantur, qui et Sapaei: de quibus uaria traduntur a scriptoribus, Strabone, Hellanico, et grammaticis, L. Tarrhaeo et Theone. Sed haec non nostri sunt instituti.

Andirina mater deum cognominata a loco, de quo Strabo libro XIII. Sub Andira, inquit, templum est Matri deum Andirinae factum, et subterraneum antrum Palean usque. est uero Palea habitatio quaedam, sic appellata, quae ab Andiris distat stadiis CXXX. Subterraneum hunc meatum torrens quidam, os eius incidens, aperuit, qui postera die a pastore quodam ad sacrificium eunte apud Andira fortuito repertus fuit.

Asporina etiam mater deum nuncupata, eodem Strabone teste, eodem libro, ab Asporino monte urbi Pergamo proximo, aspero et sterili, a quo et dea Asporina, et templum Asporinum nuncupatum fuit.

Ma Rhea uocabatur a Caribus, ut scribit Stephanus: unde et Mastaura urbs Lydiae nuncupata fuit. huic Ma Iupiter dedit Dionysium alendum. quare Ma ab Iunone rogata, cuius ille esset infans? ea Ἄρεος, id est Matris respondit. unde et apud Cares Dionysius Masares nuncupatus est, ut in Bacchi nominibus retulimus: et Rhea ipsa, Ma. Et illi taurus sacrificatur a Lydis: unde Mastaurae nomen urbis, quam urbem interfluit Chrysaorus fluuius. Sane et Ma Bellonae nomen fuisse inuenimus, ut alibi dicemus.

VESTA.

Vestam, quam Ἑστίαν Graeci uocant, cum Rhea connumeramus, quoniam cum ea a Strabone coniungitur, ut in huius Syntagmatis exordio retulimus. hanc tamen cum Cerere describit Phurnutus, et utranque ait non uideri aliam a Terra. Vesta uero ab antiquis fuit multa ueneratione culta, nunc eam ignem, nunc terram existimantibus, ut docet D. Augustinus libro quarto de Ciuitate dei. Ouidius in Fastis,

Vesta eadem est, et Terra: subest uigilignis utriusque:

Significant sedem terra focusque suam.

Idem paulo post:

Stat ui terra sua, ui stando Vesta uocatur.

Alii non a ui stando, sed a uestiando, quod terra uariis tum herbis, tum plantis, caeterisque uestiatur. nam et Plato pro terra sumere Ἑστίαν uidetur, cum ita scribit, μένει δὲ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνῃ, hoc est, manet autem Vesta in deorum domo sola: quod scilicet terra immobilis, ut Macrobius exponit, intra [p.204] domum deorum, id est, intra mundum. Sic et Euripides, καὶ Γαῖα μήτηρ, Ἑστίαν δὲ σὶ οἶ σοφοὶ βροτῶν καλοῦσιν, ἡμεῖν ἔναι αἰθέρι, id est, Et terra mater, Vestam quam sapientes homines uocant, quae sedet sub aethere. Orpheus quoque in hymno, ἢ μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο μεγίστου, hoc est, quae mediam domum habitas ignis perpetui maximi. Vestam autem, ait Phurnutus, διὰ τὸ ἐστάναι διὰ πάντων, uocarunt antiqui: hoc est, quod per omnia constet, uel quod in ipsa tanquam in fundamento totus stet orbis. Alii alia dicunt. Quod uero pro igne ponatur, Ouidius idem in Fastis:

Nec tu aliud Vestam, quam uiuam intellige flammam,

Nataque de flamma corpora nulla uides.

Iure igitur uirgo est, quae semina nulla remittit,

Nec capit, et comites uirginitatis amat.

Phurnutus: Ignis, inquit, semper uiuens Vestae attribuitur, quod et ipsa uideatur existens esse. Forte uero, quod inde ignes nutriantur, qui sunt in mundo, et per ipsam subsistant. aut quod ζεῖδωρος ἄρουσα est, id est foecunda tellus, et animalium mater, quibus uis ignea uiuendi in causa sit. Virgo porro Vesta inducitur, quod continua motio nihil gignat. Et iccirco haec dea a uirgine custodiebatur, ut Phurnutus ait. M. Tullius secundo de Natura deorum: Vestae, inquit, nomen a Graecis. ea enim est, quae ab illis Ἑστία dicitur. uis autem eius ad aras et focus pertinet. Idem in libro de Legibus: Vestam, ait, quasi focum urbis, ut graeco nomine est appellata, quod nos prope idem graecum interpretatum nomen tenemus. Quare mihi mirum ualde est, Philelphum octauo Paediae Xenophontis illud uertisse latine, Lari Cyrum sacrificasse, etc. Quod est graece, πρῶτον μὲν Ἑστία ἔθυσσε, id est, primum quidem Vestae

sacrificauit. Disputat longo orationis ductu Dionysius Alicarnasseus libro secundo Historiarum, de Vesta Romanorum dea, a quo primum instituta, Romulone an Numa: deque Vestalibus. Sex Vestae sacerdotes, scribit Festus, constitutae erant, ut populus pro sua quisque parte haberet ministrum sacrorum, quia ciuitas Romana prius in sex erat distributa partes: sed post tamen plures fuisse legimus. Scribit Gellius, quod uirgo dum a pontifice caperetur, Amata appellabatur: ea ratione, quod quae prima capta fuit, hoc nomine fuerit. Plutarchus tamen in Numa, primo Geganiam, et deinde Beremiam et Camillam et Tarpeiam captas, dicere uidetur. Sed tu si scire cupis, uirgo Vestae quid aetatis, ex quali familia, et quo ritu, quibusque cerimoniis et religionibus, quo cognomine a Pontifice Maximo caperetur, et quo statim iure esse inciperet, simulatque capta esset: quodque nec intestato cuiquam, nec eius intestatae quisquam iure haeres esset, lege Gellium libro primo, qui ex Antistio Labeone et ex aliis pleraque omnia retulit. Vestam de numero penatum deorum, [p.205] Macrobius in tertio esse ait, aut certe eorum comitem, adeo ut et Consules et Praetores et Dictatores cum inirent magistratum, Lauinii rem diuinam faciebant Penatibus pariter et Vestae. hinc Vergilius ex persona Hectoris dixit, Sacra suosque tibi commendat Troia Penates. mox adiecit: Sic ait, manibus uittas, Vestamque potentem, Aeternumque adytis effert penetralibus ignem. Sed cum Vesta ignis putaretur, Virgo etiam dicebatur: unde et uirgines eius iure ministerio adhibebantur, quae sacrum ignem custodirent, Vestales (ut diximus) appellatae: quas detonderi solitas, ut nunc quas Moniales appellat uulgus, ex eo plerique arbitrati sunt, quod XVI. Naturalis historiae Plinius scribit. Antiquior, inquit, lotos est, quae capillata dicitur, quoniam uirginum Vestalium ad eam capillus defertur. quibus uerbis id astruere conantur, nec ego reclamo: praesertim etiam cum Gellius de Diali flamine illud citet, Vnguium Dialis et capilli segmina subter arborem felicem terra integunt. Sextus etiam Pompeius Festus, Capillarem arborem ea ratione dictam existimauit, quod in ea attonsus capillus suspenderetur. Vestam, ut Alexander ait, uirginis ore tympanum gestantis, quod scilicet uentos terra contineat, quidam effinxere. at alii templum cum ara in eius medio, et igne accenso. Sed haec a me parum probantur. Inter Vestales uero, quae leuiter

deliquisset, uerberibus a Pontifice Maximo caedebatur. Sin parum casta fuisset, et conuicta, uiua defodiebatur, nec igne absumebatur, ut pluribus Plutarchus in Quaestionibus ostendit. Nam sandapila ad portam Collinam, ceu mortua efferebatur, cum propinquorum suorum luctu, sequentibus moesto cum silentio pontificibus et sacerdotibus. Prope portam locus fuit subterraneus, in quem scalis quibusdam descendebatur. in eum locum solam uirginem demittebant, et scalae auferebantur, locusque ipse occludebatur, in quo ne fame necari uideretur, panis, lactis, et olei nonnihilo apponebatur, unaque ardens lucerna: quibus peractis, sacerdotes alique discedebant. eo die iustitium erat in urbe, et moeror pauorque non exiguus: magnum enim aliquod malum ciuitati portendere putabant, Vestalium supplicium. Scribit Seruius libro undecimo Aeneidos, Imperatores et uirgines in ciuitate sepultos fuisse, quod legibus non teneretur. Idem et Plutarchus in Causis. Quinetiam, ait Seruius, nocentes uirgines licet uiuae, tamen intra urbem in campo Scelerato obruebantur. Illud etiam apud scriptores proditum obseruauit, extincto igne Vestales a pontifice uerberari solitas. quibus mos erat, tabulam felicitatis materiae tam diu uerberare, donec ignis conciperetur, qui cribro aeneo in aedem a uirgine deferebatur: quotannis tamen et nouus ignis excitabatur a Vestalibus, sicut et a nostris in caerei Paschalis (qui dicitur) consecratione. Ouidius in Fastis, [p.206]

Adde quod arcana fieri nouus ignis in aede

Dicitur, et uiris flamma relecta capit.

Sed ad Vestam ipsam reuertamur. Scribit Diodorus in Bibliothecae libro quinto, ubi Cretica explicat, ex Saturno et Rhea sex natos filios, Vestam, Cererem, Iunonem: mares Iouem, Neptunum, et Plutonem. Idem in Fastis Ouidius,

Ex Ope Iunonem memorant, Cereremque creatam,

Semine Saturni, tertia Vesta fuit. etc.

Orpheus quoque in hymno ipsius, cui adolet aromata, Vestam filiam canit potentis Saturni. harum utique Vesta fertur structuram domus inuenisse. Martianus, Vestam ait Magnae matri adhaesisse, quod Iouis nutrix fuerit, suoque illum sustentasse gremio, cum a matre occultatus nutriretur. Sed Lactantius ait Vestam Vrani, id est Coeli uxorem, his uerbis: Legi in sacra historia, Vranum potentem uirum

Vestam habuisse coniugem, etc. quibus uerbis quidam duas Vestae nomine fuisse credunt. At uero Fabius Pictor (si legitimus, ut alibi dixi, liber est, qui legitur) Vestam tradit Iani uxorem fuisse, quae prima sacrorum regina, sempiternum sacrificiorum ignem uirginibus credit. Myrsilus uero Lesbius, Vestam ait Labith horchiam dictam, Tyrrhenorum lingua. Labiti quoque, ait Herodotus, a Scythis uocata est. Quo magis mihi mirum uisum est, in Commentariis in poeticam Horatii, qui Parrhasii nomine editi sunt, ita scriptum esse: Scythae Gongosiron Apollinem uocant, Neptunum Thagesmana, Venerem Argenpasam, Vestam Tamuti. cum legendum sit: Scythae Oetosyrin Apollinem uocant, Neptunum Thagymasa, Venerem Arginipasa, Vestam Labiti. atque ita recte graeco et latino legi codice. Sed huiusmodi errata sunt in editorem, quam in auctorem, referenda potius: tametsi et apud Originem libro sexto, simili modo corrupta legantur. Scribit Phurnutus in fabulis traditum, Vestam e se primam genitam, et postremam, quoniam ex terra cuncta nata, et in terram resoluuntur. Et propterea Graeci ab ipsa sacra incipiebant, et in eam desinebant. Sed enim non Romanos modo, sed aliquot alias nationes sacrum ignem publice custodisse legimus. Nam Athenis in Prytaneo ignis sempiternus asseruabatur, non a uirginibus, sed (ut ait Plutarchus) a mulieribus iam matrimonio solutis. Strabo libro nono, Poliadis Mineruae templum in saxo uetustum scribit, in quo lychnus inextinguibilis, et uirginum domus, id est Παρθενῶν, quam Ictinus condidit, ubi Minerua Phidiae opus eburneum fuit. Aegyptii quoque ignem seruabant, ut testatur Diodorus. Quin etiam Delphis. Persae quoque summa religione, ut notum est, ignem custodiebant, et uenerabantur, qua de re contentus ero uerbis Procopii historici, ex secundo libro belli Persici, cum Cosdroe in Romanorum agrum inuadere constitisset per Persarmenios, ita subdit: [p.207] Hic magnum Pyreum est, quod Persae deorum maxime uenerantur, ubi ignem perpetuum custodiunt magi: ac alia quidem diligenter sacrificantes, cum uaticinio in rebus maximis utuntur. Hic est ignis, quem Vestam olim Romani uocabant. haec quidem Procopius. Strabo uero libro decimoquinto, de Cappadocia agens, scribit, apud eos magos fuisse multos, quos Pyrethos uocabant. tum illud subiungit: Suntque Pyrethia septa ingentia, in quorum

medio ara est: in ea magi et cinerem multum, et ignem inextinguibilem seruant, quo quotidie ingressi imprecationes faciunt. Illud in commentariis Graecorum legitur, ignem coelitus in agrum Argium primum decidisse, qui in Apollinis templo seruabatur, quod Argis fuerat in foro constructum: in quo si quando extingueretur, ut Athenis accidit Aristone tyranno, et Delphis templo a Medis incenso, et Romae Mithridatico et ciuili bello: tum uero fas non erat ex altero igne succendere, sed nouum elicere oportebat. ex sole accendebatur flamma pura: certaue ratione uasa scaphia parabant, cauata, in quae solis radii excepti, in fomite arido ignem iniiciebant. Sed et alias elicitor ignis ex sole et speculo, uel ex uitrea phiala, aqua gelida plena. Et de his satis.

Βουλαία Ἑστία, hoc est, consiliatrix Vesta cognominata est, cuius ita Dinarchus orator meminit: μαρτύρομαι τὴν Ἑστίαν τὴν Βουλαίαν, id est, testor deam Vestam consultricem. Dicta uero, quod in senatu, hoc est ἐν τῇ βουλῇ esset constituta. Valerius Arpocraton. Thraecia, id est Θραίκια Vesta enim, teste Hesychio, est appellata.

Pingebatur uero Vesta mulieris forma sedentis, et gestantis tympanum, quod terra uentos intra se contineat. Et Romani eius aedem rotundam construxere, in cuius medio seruaretur ignis, qui et a plerisque in terrae medio esse traditur. Phurnutus et ipsam Vestam rotunde effingi solitam prodit, atque ita per medios humeros constitui, quod et ipsa taliter statuatur constricta, uel coagulata. unde et Χθών terra uocatur: forte quod terra capiat omnia, hoc est, ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι, siue ἀπὸ τοῦ χωρεῖν. Porro et albis et candidis sertis coronari dicebatur, eadem ratione, quod terra undique ab albissimo elemento ambiatur, aere scilicet. Sunt qui deam supra pinnaculum templi statuunt, ut scribit Albricus, qui auctor mihi proletarius est, nec fidus satis. Porro duas Vestae nomine quidam statuunt, alteram Saturni uxorem, alteram filiam: hanc ignis, illam terrae symbolum gerere, ut ante meminimus. Libet in fine huius capituli de Vesta et Vestalibus, quod nunc succurrit, tibi ascribere de Cassandrea templo, quod in Italia fuit prope Salpem paludem, et oppidum Dardanium dictum, ut ait Lycophon: in quo templo si quaequam uirgo accola, uirginitatis amore nuptias spreuisset, siue ob deformitatem, siue aliam [p.208] ob causam uirum perosa confugisset, sui posthac iuris

erat, et inde inuitam abducere summum fuit nefas. Haec postmodum comas detondebat, atrasque uestes induebatur, faciemque coloribus quibusdam deturpabat, ut deformior esse uideretur, atque ita in uirginitate perseuerabat. Hoc ea causa ascripsi, ut nos nostrarum sacrarum uirginum pudeat, quae plerunque inuitae in claustra et septa coercentur, nedum sponte ipsae illuc confugiant.

IANVS. VERTVNVS.

Ianus antiquissimus Italiae deus habitus, et Latii rex: unde Ianiculum collem et oppidum dictum, notius est quam ut hic pluribus referamus. Hinc Vergilius,

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem:

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Dictus uero Ianus, ut Cicero et Macrobius tradunt, ab eundo, quod coelum et tempus semper eat: uel quod ianuis praesit, ut Ouidius docet. Festus, ubi Chaos ex Hesiodo describit: Chaos, inquit, ex eo quod *χαίρειν* Graeci, id nos hiare dicimus: unde Ianus detracta aspiratione nominatur, id quod fuerit omnium primum, cui primo supplicabant uelut parenti, a quo rerum omnium factum putabant initium. Arnobius quoque inter multa: Incipiamus, inquit, et nos ab Iano patre, quem quidam ex uobis mundum, annum alii, solem etiam prodidere nonnulli. Et paulo post: Quem ferunt Coelo et Hecate procreatum, in Italia regnasse primum, Ianiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturini generum, Iuturnae maritum, quemque in cunctis anteponitis precibus. Martianus tamen Argionam uxorem Iani dixit, Graeci uero Camesen sororem et uxorem scribunt, quos secutus Leon. ex ea prodit Clisthenen filiam sustulisse: tametsi Cato et F. Pictor Camesen principem cum Saturno commemorent. Sed auctor hic uterque non modo suspectus, sed et apocryphus. Effingebatur Ianus ab antiquis uarie. nam et biceps, et quadriceps, ut ostendam, formabatur: unde et eius quaedam deducta cognomina. Plinius libro trigesimoquarto, Ianum a Numa rege dictum ait, digitis ita figuratis, ut CCCLXV nota per significationem anni, temporis et aevi se deum indicaret. Plinii quaedam exemplaria CCCLV tantum lectionem habent. Sed cum Macrobius de hac eadem, ut opinor, statua agat in primo, et idem

CCCLXV legat, plura hic non comminiscar, cum multa possem. Macrobius haec sunt uerba: Inde, inquit, plerunque Iani simulachrum fingitur manu dextra trecentorum, et sinistra sexaginta et quinque numerum tenens, ad demonstrandum [p.209] anni dimensionem, etc. ex Plinii uerbis, et Macrobius, plane percipimus, ita figuratum Ianum fuisse, ut manibus et digitis, hoc est, eo numerandi ordine qui per articulos manus fit, ab unitate usque ad nonagesimum nonum, manu sinistra numeratur: a centenario uero numero dextra computatur, ut planius ex Beda et Isidoro, aliisque cognoscimus, sed et nostro nos Annotationum dialogo primo ostendimus. non igitur Ianum ipse intelligas in manu habuisse has graecas numerorum literas, τ dextra, et sinistra $\xi\epsilon$, sed ita compositis et complicatis manuum articulis, ut id significaretur. qua in re uiri alioqui eruditi quidam decepti, qui ea causa ideo fortasse hallucinati, quod Ianuarii simulachrum cum Suidas describat, perperam ab eis exponitur. Ita ergo Suidas, meis uerbis: Ianuarius simulachrum quadriforme, propter quatuor *τροπὰς*, id est anni conuersiones, seu partes. Alii autem effingunt ipsum, in dextra manu tenentem clauem, ut temporis principium, ac anni reclusorem, ianitoremque: alii uero in dextra CCC, sinistra quinque et LX continentem, ut annum significet. haec Suidas. quibus quidem uerbis non subinfertur, quod illi putant, quod has numerorum notas manu contineret: sed eum numerum, quem nos ostendimus, per manuum articulos exprimebat, quandoquidem et Macrobius plane ostendit, tribus his modis, et pluribus etiam, Ianum ab antiquis effingi solere. Obseruamus et apud F. Pictorem, Ianum etiam sic formatum, ut in manu uirgam et clauem, et sub pedibus bisseas aras haberet. idque ideo factum, quod primus ualuas seras et clauas excogitarit: et ab eo propterea dictas ianuas. Duodenas etiam colonias dederit, et totidem pomoeria, arasque sacrarit. Macrobius etiam cum clauis et uirga effictum ait, quasi portarum esset custos, et rector uiarum. Porro describitur Iani templum a Procopio in historiis ad sua usque tempora, hoc est Iustiniani Caes. Imp. Vnde et Ianum quidam in throno sedentem statuunt, et ante ipsum templum nunc clausum, nunc apertum. Ianum quoque coronarum inuentorem ueteres existimauere, id quod Dracon Corcyraeus apud Athenaeum pluribus docet, et nos ab eo

in nostris Nauigiis. Porro et ab Iano, Ianualis porta Romae dicta fuit: de qua post Festum Valturius libro nono.

Bifrons, et quadrifrons, Ianus et fictus et nuncupatus. Vergilius in XII. Aeneidos,

Mare, sidera, iuro,

Latonaequae genus duplex, Ianumque bifrontem.

Et quidem bifronti Iano, Seruius ait, Romulum et T. Tatium, cum in foedera conuenirent, simulachrum duplicis frontis effecisse, quasi ad deorum populorum [p.210] imaginem. Dictus est etiam Ianus Geminus, quod praeterita et futura respicere existimaretur. Ouidius,

Iane biceps, anni tacite labentis imago,

Solus de superis qui tua terga uides.

Quin et in uetustis quibusdam nomismatibus adhuc biceps cernitur. Sed et Plutarchus, cur biceps effingeretur, in causis Romanorum capitum pluribus edisserit. ait enim, cum ipse Ianus Perrhaebus esset, post cum in Italiam uenisset, linguam et uiuendi rationem immutasse: uel quod Italos, cum agrestes ac barbari essent, eos ad mansuetiorem uitam, et rem publicam administrandam pellexisset. Seruius item in illo poetae Vergilii libro septimo, Sunt geminae belli portae, etc. Sacrum, inquit, hoc Iani Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, iuxta theatrum Marcelli, quod fuit in duobus breuissimis templis. duobus autem, propter Ianum bifrontem. postea captis Faliscis, ciuitate Tusciae, inuentum est simulachrum Iani cum frontibus quatuor. unde, quod Numa instituerat, translatum est ad forum transitorium, et quatuor portarum unum templum est institutum.

Quadrifrons ergo, et Quadriceps Ianus uocatur, id quod et Martianus innuit illo hendecasyllabo:

Et lingua pariter locutus omni.

nam omnes de duobus, ait Seruius, non dicimus. Scribunt Plutarchus et Critolaus, qui Phaenomenon libro composuit, Saturnum a Latino quopiam agricola hospitio susceptum, eius filiam Oenotriam uitasse: quo partu natos ferunt, Ianum, Hymnum, Festum, et Felicem, quibus Saturnus pater serendae uitae et uini conficiendi rationem ostendit, eiusque muneris ut aliis auctores essent, permisit. hinc ergo finitimi agricolae, cum uinum gustassent, inconsuetae potionis uel diu graui somno pressi iacere. mox expergefati, et sibi uenenum

propinatum suspicantes, Ianum eius inuentorem saxis et lapidibus obruerunt. cuius filiae puellae patris interitu moerore percitae, laqueo uitam finiuerunt: quas in coelum omnes sustulisse Saturnum tradunt, appellatasque Προτρουγητῆρες, quod earum ortus uindemiam praecedat. Verum multo post tempore laborantibus pestilentia Romanis, Apollinis oraculum respondit: Non antea pestilentiam sedandam, quam Saturni ira expiaretur, quam ex filii nece conceperat. hinc Lutatus Catulus aedem Saturno in rupe Tarpeia construxit, Ianumque sacrauit quadrifrontem: seu a puellarum numero, quae patri laqueo et spiritu parentauerant: uel a quatuor anni temporibus. Alii ideo Ianum quadriformem dictum prodiderunt, quod uniuersas orbis partes sua maiestate complexus sit, ipsasque conspiciat. plura Macrobius in Saturnaliis, et D. Augustinus in septimo de Ciuitate dei. Seruius, captis Faliscis, ut diximus ante, tale simulachrum inuentum tradit. [p.211]

Sed audi uanitatem longe etiam Iano Romano uaniorum. Iudaeorum rex Manasses statuam sibi quinqueformem, hoc est, ut Graeci scribunt, πεντεπρόσωπον poni curauit. Sane quadrifrontem Ianum Romae in Velabro esse, existimant antiquitatum eruditi, non quidem a Numa erectum, sed postea reformatum. ferme enim integrum hoc tempore cernitur cuius testudo quatuor columnis pilatis sustentatur, quatuor peruiis ianuis. in singulis uero loculamenta XII, tanquam fenestellae, in quibus statuae reponerentur. has quidam existimant XII mensium habere significationem, quod et Ianum annum ipsum significare iam supra dictum est. Varro quoque in libro Humanarum scribit, XII aras antiquos posuisse Iano, pro totidem mensibus. Quin et Ianus item Iunonius dictus fuit, quod omnium mensium ingressum teneret, ut etiam Iuno. Libet hic tibi annotatiunculam meam ascribere, ut scriptorum aliquot loca, quam hactenus exposita, melius intelligantur. Verba haec Suetonii sunt in Domitiano: Ianos, inquit, arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum, per regiones urbis extruxit. haec Suetonius. T. Liuius libro primo quintae Decadas: Et forum, inquit, portibus tabernisque claudendum, et Ianos tres faciendos. quibus scriptorum uerbis id significari uidetur, quod et hoc tempore in celebritatibus et pompis a regibus et

principibus, Rebusque publicis fieri conspicimus. ut his ipsis, quibus haec scribimus, diebus Hercules II. Atest. Dux nostrae urbis IIII. egit in laetitiam, dum PAVLVM III. P.M. hospitio suscepit. Qua de re ego, eo spectaculo priuatus ob articularis morbi infirmam ualetudinem, quodam ad Bartholomaeum Riccium Hendecasyllabo inter caetera ita lusi:

Non urbis mihi templa, non theatra,
Non praetoria celsa spes uidendi,
Non arcus, tibi, peruiosque Ianos,
Qui nunc Maxime PAVLE construuntur,
Non pompam, reliquum nec apparatusum,
Vt hac magnifice hospiteris urbe. Et reliqua.

Vocantur igitur Iani numero plurium, huiusmodi aedificia quadriformia et peruia, seu stata illa et lapidea, seu ex materia pro tempore excitata, ut ex supra recitatis Liuii et Suetonii uerbis audiisti. Sed et M. Ciceronem attende libro de Natura deorum secundo: Cumque, inquit, in omnibus rebus uim haberent maximam prima et extrema, principem in sacrificando Ianum esse uoluerunt, quod ab eundo nomen est deductum: ex quo transitiones peruiae Iani, foresque in liminibus profanarum aedium Ianuae nominantur. haec Cicero. P. Victor in VIII. urbis Romae regione, hoc est in foro Romano: [p.212] Iani, inquit, duo celebris mercatorum locus. nam argentarii ac numularii, caeterique eiusmodi in Ianis nuncupatis, qui et ab aliquibus Vertuni dicti sunt, suam artem exercere solebant, ut ex diuersis auctoribus colligi potest. Horatius: Postquam res mea Ianum Ad medium fracta est. Idem: Ianus summus ab imo Perdocet. Ouidius. Cum tot sint Iani. Et illud, Ad medium Ianum sedentibus. M. Cicero Philippica sexta, statuam ridens positam L. Antonio cum hac inscriptione, L. ANTONIO, IANO MEDIO, PATRONO PO.RO.XXXV Trib. Pos. Non possem, inquit, sine risu dicere, L. Antonio Iano medio patrono. Itane? Ianus medius in L. Antonii clientela sit? quis unquam in illo fano inuentus est, qui L. Antonio M. nummum ferret expensum? Aliqui tamen foeneratorum locum significare autumant: sed omnino ad uersuram faciendam, et res contrahendas spectabant. ideo P. Victor, mercatorum celebrem locum appellauit.

Clauiger Ianus appellatus est, ut supra ostensum est, quod cum clauae et uirga formaretur. Clusius praeterea Ianus, et

Patulcius, et Consuius cognominatus est. Ouidius in Fastis:

Nomina ridebis, modo nanque Patulcius idem:

Et modo sacrificio Clusius ore uocor.

A claudendis uidelicet, et patefaciendis Iani portis, de quibus poeta in septimo Aeneidos:

Sunt geminae belli portae (sic nomine dicunt)

Religione sacrae, et saeui formidine Martis.

Centum aerei claudunt uectes, aeternaque ferri

Robora, nec custos absistit limine Ianus.

Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino

Insignis referat stridentia limina consul.

Ipse uocat pugnas, sequitur tum caetera pubes.

Idem libro primo:

Dirae ferro et compagibus arctis

Claudentur belli portae, Furor impius intus

Saeua sedens super arma, et centum uinctus ahenis

Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Hinc audio, hoc anno, quo omnia bello feruent inter Caesarem et Gallorum regem, Romae Paschillum, templum hoc Iani reclusum effinxisse, et catenis solutum Furem praecipitem exire, hinc inde poetis de more uaticinantibus. Porro hoc Iani templum ter constat fuisse clausum, usque ad tempora aduentus Christi seruatoris: primum regnante Numa Pompilio, deinde post bellum Punicum secundum, tertium post bella Actiaca, quae confecit Augustus. Huius autem aperiendi uel claudendi ratio uaria refertur. Alii dicunt, Romulo contra Sabinos pugnante, cum in eo esset ut uinceret, calidam aquam [p.213] ex eo loco erupisse, quae fugauit exercitum Sabinorum. hinc ergo tractum morem, ut pugnatu aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, quasi ad spem auxilii pristini. Alii dicunt, Tacium et Romulum facto foedere hoc templum aedificasse. unde et Ianus ipse duas facies habuisse dictus, quasi ostenderet duorum regum coitionem: uel quod ad bellum ituri, debeant de pace cogitare. Aliam meliorem affert Seruius rationem, quod ad proelium euntes, optant reuersionem.

Consuius Ianus dictus est, ut Macrobius tradit, a conserenda scilicet propagine generis humani, quae Iano auctore conseritur.

Quirinus etiam pater Ianus uocatus est, quasi bellorum potens, ab hasta quam Sabini curin uocabant. hinc et Curitis Iuno, ut pluribus suo loco dicemus. Quin etiam et Iunonius Ianus dictus est, teste Macrobio: quod ita huic deo Iano omnis ingressus est dicatus, ut Calendae omnes mensis Iunoni. Sed et Varro libro quinto Rerum humanarum, Iano ait XII aras pro totidem mensibus dicatas: quas aliter tamen, ut paulo post diximus, F. Pictor interpretatur. Scribit Macrobius, quod Iano primus anni mensis a Numa rege attributus sit, quod prospiciat et respiciat praeterita et futura.

Matutinus deus etiam Ianus dictus est ab Horatio, in hoc,

Matutine pater, seu Iane libentius audis,

Vnde homines operum primos, uitaeque labores Instituunt.

Sic uero dictus, quod sit diei dominus, ut ait Seruius, in quo ortus et occasus. Pater autem est appellatus, ut etiam Macrobius notat, quasi deorum, ut ait, deus. A Graecis etiam dictus Προπάτωρ, ut in illo hymno qui κοινός, id est communis dicitur, χαίρ' Ἴανε Προπάτωρ Ζεῦ ἄφθιτε, etc. Nolo tibi nunc recensere, quae Ioannes Annius commentus est, de Vadimone, et aliis nonnullis, quoniam eius hominis scripta mihi nescio quo pacto doctrinam exoticam, ne superstitiosam dicam, redolere uidentur. quis enim Nochum, seu Noa, Ianum fuisse existimet? Et Ianum quis uitiferum, uel uiniferum, significare putet? At Ianuam Hesychius nunc graecam, nunc Helenam est interpretatus.

Vertunus etiam Ianus dictus est, si F. Pictori credimus: si quidem, qui eius nomine circumfertur liber, legitimus est. sic enim scribit: Imus Argiletus est, ubi Ianus quadrifrons, qui et Vertunus, in fine uici Thusci, etc. Idem ferme et Varro, et P. Victor, Asconius Paedianus in ultimo thurario tradit. Ouidius in primo Fastorum ita canit:

Quicquid ubique uides, mare, coelum, nubila, terras,

Omnia sunt nostra clausa, patentque manu.

Me penes est unum uasti custodia mundi,

Et ius uertendi cardinis omne meum est.

licet de Iano dictum sit.

Tibullus in ultimo:

Talis in extremo felix Vertunus olympo,

[p.214]

Mille habet formas.

uel ut alii legunt,

Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Non constitutum habeo, an apud Festum legendum sit pro Portunno, Vortunnum, cum caetera Iano uel Vertunno conueniant, ut clarius in Portunno dicam. Vide integram de Vertunno elegiam Propertii libro quarto, in qua poeta recenset docte, quis deus esset Vertunus, et qualis, et unde nuncupatus. quo in loco interpretes, Beroaldus et Volsenius, ex uariis auctoribus plura attulerunt, quae hic ego consulto praetereo. Meminit praeterea Varro, et Horatius, qui a Iano diuersum facere uidetur in primo Epistolarum.

Vertunnum, Ianumque liber spectare uideris.

Putauit Acron, Vertunnum deum fuisse, qui praeesset sensibus. scribit uero Donatus in Terentii commentariis, emanasse ab hoc deo illud quod dicimus, uel bene, uel male uertat. Vertunus, inquit, deus dicitur, qui rebus ad opinata reuertentibus praest. Saepe autem male cedit quod bonum putatur, et hoc est male uertisse: ut ille gladius qui muneri datus, adminiculum fuit reginae pereunti. de quo Vergilius,

Ensemque recludit Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.

Haec quidem ille in Adelphis, qui nec procul, nec absimilia repetit. Huius dei uxorem fuisse Pomonam, de qua alibi sum locutus, fabulati sunt poetae. Non defuerunt qui Vertunnum Hetrueriae regem prodiderint. ille se Volsinium uocat apud Propertium:

Thuscus ego, Thuscis orior, nec poenitet, inter

Proelia Volsinios deseruisse focos.

Fuit et Voltunna, uel Vulturna, celebris Hetruscorum dea, ad cuius fanum frequens Hetruscorum concilium haberi solebat, eius non semel meminit T. Liuius in prima Decade cuius tamen exemplaria uariant. Huius deae fanum prope Volscinios non procul a Ciminio monte et lacu fuisse, uiri antiquitatum periti existimant, quo facilius esset aditus toti Hetrueriae. A Vertunno quidem Vertunnalia dies festus, qui mense Octobri celebrabatur, Vertunni feriae, ut ait M. Varro.

SYNTAGMATIS QVARTI FINIS.